PARALIPOMENA AD CELEBREM CONSULTATIONEM

Nomine RR. Religiosorum Abbatiæ S. Arnulphi, apud Metenses Latinè, & Gallicè factam.

Super postulatione ab ipsis Canonicè celebrata iuxta Concordata Germanica de Spectabili, & Clarissimo viro Domino ANDREA VALLADERIO *Doctore Theologo, Metensi Canonico, Regio Ecclesiaste, & Metensis Episcopatus Vicario generali.*

Quæ Doctores celeberrimi Transalpini censuerunt, consciuerunt, subscripserunt.

Salua semper in omnibus, atque integra sanctæ Sedis Apostolicæ Reuerentia.

PARISIIS,

M.DCXII.



ILLVSTRISSIMO AC REuerendissimo Domino

D. R. VBALDINO

EPISCOPO A MONTE Politiano, sanctæ sedis Apostolicæ apud Regem Nuncio, Domino suo colendissimo.



V ANDO *eo loco Pontificia benignitate quo-ad nostram Abbatiam res est posita, vt nihil ante voluerit iure actũ quàm Cleri Metensis, nostræque, & nostri postulati rationes quasi ex plano exaudiantur : hoc quia ita est, certè vicimus: nam qui e contrario sæuierunt nullo iure, imò ne iuris quidem colore vllo grassati sunt. Nos verò*

tam certo, tamque inexpugnabili iure contendimus, vt ne qui dem ſemel omnium ſeculorum memoria, aliter quàm modo expetimus, fuerit actum. Aliquot menſes euertendis Metenſium Archiuiis, verſandiſque canonibus ſacris inſumpſimus: celebres doctrina & pietate viros ad tanti negotij peruestigationem adhibuimus, ex quo factum eſt vt tardiuſculè Alpes tranſmiſerimus, quo rem ex profeſſo clauderemusi. Iam re matura, & noſtrarum rationum ponderibus conglobatis, æquum duximus tibi Apoſtolico Nuncio omnia fidere, viro quippe ſumma æquitate, ſingulari comitate, incredibili integritate, eximio, indefeſſoque rei Catholicæ propugnandæ ſtudio, rara verò exquiſitaque difficillimis in rebus, atque temporibus conſtantia prędito, vt qua es apud ſummum Pontificem fide, & authoritate quem in hoc regno Apoſtolicæ Majeſtatis viuum exemplar repręſentas, illi noſtri iuris momenta, Cleri vniuerſi

Metensis potentissimus patronus expo-nas. Si qua autem ad obruendam, præfocandámque calumniam magis arcana internáque sunt, quam quæ publice edi debuerunt, ea ipsi summo Pontifici coram Deo, tersè explicatéque exponentur, excogitatorésque calumniæ adeò expressè, potentérque pandentur, vt certò confidamus fore, vt intentatas calumnias exhorrescat, calumniarum verò authores exsecretur; doleatque imprimis tantum hominum artes potuisse, vt in tam claro iure, tanto viro tantopere fuerit dimicandum, ad beneficiolum consequendum, cùm passim pinguissima quæque multi ad omnia inutiles, imò plerumque ipsi Ecclesiæ Dei, cuius adipe saginantur, inuisi, exosique consequantur. Faxit Deus, vt quæ hac in parte ad illius gloriam adeò negotiosè cœpta sunt, tranquillius iam per annum deserta, orbataque nostra familia, aliquando claudantur. Quem nos interim impensè exorabimus, vt nobis

Nuncium adeò Apostolicum, adeoq. sanctum, totiq. Ecclesię ad maiora incolumem atque florentem conseruare dignetur. Parisiis 14. Maij, anno Domini, 1612.

Illustriss. Dominationis vestræ,

Humillimi, necnon obsequentissimi famuli,

Vniuersus Conuenus Sancti Arnulfi.

ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME Domine,



VLLA Religiosa familia hactenus in his trãsalpinis partibus grauiores persensit ruinas, quàm nostra, à quinquaginta iam annis omni vexationum genere ita spoliata, vt ducentorum millium aureorum, vt minimum, iacturam tantullo tempore sit perpessa. Primum domus amplissima, tum à Carolo magno, eiusque filio Ludouico Pio, tum à variis aliis Galliarum Regibus, qui apud nos cum Ludouico sepulti iacebant, Regiè, ac magnificè in suburbano structa, dotatáque bellorum iniuriis penitus cõplanata, & vitibus consita præter parietum, lócique sanctissimi incomparabilem vastitatem, nobis plusquam quinquaginta millium aureorum iacturam intulit. Exinde cùm adhuc prædia, sacráque supellex superessent, ecce sub annum millesimum quingentesimum sexagesimum

ſextum, d'Auſançæus Hæreticus Caluiniſta caſtri Gubernator, Abbate Iuinuilla defuncto, Abbatiam inuadit licentia temporum inſoleſcens, omnem numeratam Abbatis pecuniam domeſticam, quæ ad triginta librarum millia pertingebat, ſacrámque ſupellectilem omnem exportat: omnia ex agris, locíſque campeſtribus, armenta, & pecora abducit: præcipuos quoſque religioſos in reorum capitalium cuſtodias coniicit, aliquos ad extorquendam pecuniam tormentis excruciat: tandem cum fundos, agróſque ſorbere non poſſet, nos omnes adegit, vt illi ſponſione ſcripta obligaremur duodecim ducatorum aureorum millia perſoluturos. Quare cum aliter fieri non poſſet, pinguiſſimos quoſque fundos viliſſimo pretio oppignerare adacti fuimus, vnde illi ſummam conficere poſſemus: ſic vt de Abbatia ſatis opulenta, vix quinque Francorum millia huc vſque fuerint Abbati relicta; duodecim verò millia pignoribus maneant iam tot annos ſecularium manibus alienata. Bonis ita diſtractis, Abbate extincto, domo ſpoliata: Deſiderium Touſſanum Abbatem elegimus. Totis quatuordecim annis illi diploma Apoſto-

licum à Pio quinto pernegatũ fuit, patrũ Dominicanorũ artib. qui ideò intercesserãt, quòd suam desertã domũ nobis intra vrbis pomærium ab vrbe, atque à Rege traditam, sibi restitui efflagitabant, donec Regis interuentione, summus Pontifex nostrarum calamitatum commiseratione permotus Toussano diploma concessit: postquã tamen litigando immensis sumptibus, quæ triũ millium aureorum summam excederent penè oppressi fuissemus, præter Annatæ, aliorúmque sumptuum expensas, quæ nos penitus exhauserunt. Sub hęc Sẽnetonus Castro Metẽsi gubernator aduenerat, oppignerationem quæ primum cuidam Grozio hæretico cesserat, cùm percommodam, & perquæstuosam esse intelligeret, ipse sibi addicendam summa persoluta redemit. Hic postea Toussanum Abbatem exorauit, vt filium Carolum Sennetonum Abbatiæ coadiutorem sibi adscisceret, vicissim pollicitus pignora se domui libera, integráque cessurum, quod sponsione per Amanuenses transacta, stipulatáque ipse iuratus, adscriptúsque firmauit. Ergo filius coadiutor adsciscitur (nolumus enim omnia exprobrare, nisi sua sanctitas imperauerit, aut in

iudicio noſtrī iuris tuendi cauſa neceſſe fuerit)is fuit nuper extinctus Abbas. Tantum verò abeſt,vt promiſſis pater eius ſteterit, vt ex eo tempore omnia tentarit,vt prædia illa Abbatiæ oppignerata in perpetuum patrimonio addita alienaret. Parenti defuncto filius Sennetonus nobilis miles, Abbatis germanus frater, non ſolum in illa pignorum occupatione, ſed etiam in voluntate Abbatia potiundi, ſucceſsit. Is eſt igitur qui fratre Abbate extincto, cum æs Abbatiæ alienum pluſquã viginti librarum millibus auxiſſet, ad illa pignora continuanda, & tandem hæreditati per longam occupationem adiicienda, ſyngrapham Regiam impetrauerat, qua illi Abbatia donabatur. Inter hæc an temporum perturbatione,an calamitatũ incommodis, apud nos admodũ religioſa diſciplina diffluxit: quam tamen pro noſtra virili aliquanto reſtituere nobis in votis ſemper fuiſſet, ſi eos, quos oportuit Abbates nacti eſſemus. Igitur tantorum malorum pertæſi, & nouorum conatuum, atque conſiliorum minimè ignari,mox vt poſtremus Abbas è viuis exceſsit, in id vnum incubuimus omnes, vt quoniam ſyngraphæ Regiæ impetrator

in aula Regia multum authoritate polleret, virum aliquem insignem Regi carum, suæ Sanctitati commendatum, rei Catholicæ, in hac vrbe hæresi corruptissima vtilem, ac necessarium postularemus. Quare cùm nemo aut aptior aut capacior, tum pietate, tum doctrina reperiri posset, concordi consensu omnes, plane diuino instinctu, spectabilem virum Dominum Andream Valladerium Doctorē Theologum eximium, Concionatorem Regium tota Gallia celeberrimum, Illustriss. Cardinalis Giurij Episcopi nostri, Vicarium generalem, sanctæ Sedis Apostolicæ defensorem acerrimum, imò Caluinianæ hæresis omnium iudicio in his partibus, & toto Galliæ regno flagellum notissimum, postulauimus, cùm ipse nihil penitus de hoc nostro consilio cogitaret, neque de ea re nobiscum, vel sua, vel aliena opera, vnquam egisset. Postulationem exactam PAVLO QVINTO Pontifici Optimo Maximo cumprimum obtulimus, illum obtestati vti tot nostrorum exitiorum misertus, tam præsens, tamque optatum solatium nobis concedere dignaretur. Ecce tamen iam vnde-

cim totis menſibus itando, litigando, expectando, pluſquam duo millia nummûm aureorum, iam ære alieno pluſquam oppreſsi inſumpſimus, eóſque mutuò magnis fænoribus hinc inde acceptos, vota noſtra adeò iuſta, ſanctaque diſtulit, præces noſtras non audiit, nos in ſqualore, & luctu iacentes contempſit, maleuolorum quorundam, præſertim hæreticorum inuentione excogitatis ſacrilegis calumniis, vt rumor eſt, retardatus, qui tamē pro ſua incredibili benignitate, eximiáque clemētia, nihil hactenus noſtro præiudicio præſtitit, imo vti ex litteris, quas ipſe ad illuſtriſsimū Cardinalem de Giury ſcripſiſti, nuper accepimus, Summus Pontifex eo loco rem eſſe voluit, vt intereà liberum otium iuris noſtri apud ſuam ſanctitatem exponendi, diſceptandique haberemus, quod ea qua par eſt demiſsione facere auſi ſumus, his octo capitibus, nullo alio, quā ſinceriſsimę veritatis apparatu breuiter expoſitis: quę enim fuſius, atque in iuſtū volumen variis Doctorum, exquiſitiſque ſententiis valde plauſibiliter expendi poſſent nos compendiariè perſtrinximus. quippe qui ſuæ ſanctitati clariſsimum ius noſtrum exponere tantum penſi habea-

mus;cui cum otium esse non possit singula hinc inde sparsa perlegere, omnia in vnum cogere, & ad facilitatē Typicis characteribus exprimere commodum, atque vtile, imo ad posteritatem iucundum fore iudicauimus.

CIVITATEM Metensem verè, & propriè, atque primariò concordato Germanico contineri. I.

IVRE concordati Germanici non modo electiones, verum etiam postulationes, iure eodem compræhendi, & suam sanctitatem ad vtrumque pari iure teneri. II

TAMETSI iure concordati Germanici postulationes minimè continerentur; non ideò ius de Abbatia nostra disponendi ad suam sanctitatem, ea causa deuolui, cùm nulla nostra culpa interuenerit. III.

ABBATIAM sancti Arnulphi præter concordáta Germaniæ, etiam vi indultorum, quæ à quamplurimis summis Pontificibus concessa sunt, tumque possessione immemorabili, numquam hactenus interrupta, potestatem eligendi, semper habuisse. IV.

IVRE electionis vi indultorum, & possessione numquam hactenus interturbata, postulationes pari iure, si Canonicæ V.

& concordes fuerint contineri, atque vtrasque eodem iure à summo Pontifice admitti debere.

VI. QVAMQVAM iure communi electionum postulationes non comprahenderentur, neque ad illas admittendas sua sanctitas teneretur; tamen cùm nulla in re peccauerimus deuolutione nostri iuris nos puniri non posse, neque propterea ius esse, de Abbatia prouidendi ad sanctitatem suam, deuolutum.

VII. POSTVLATIONEM, à nobis de tanto, tamque insigni viro factam planè Canonicam, atque concordem, suisque omnibus numeris absolutam, & perfectam esse, ideòque minimè reiiciendam. Imò quamquam postulatio manca, ac mutila, atque etiam propter formam reiecta esset, non idcirco ius nostrum deuolui posse, neque postulati nostri personam recusari, cum idem ipse exactiori forma postulari possit.

VIII. TANTVM VERO abest vt postulati nostri insignissimi viri persona reiici possit, vt quamuis nullum ius concordati, nullum indulti, neque eligendi, neque postulandi haberemus, ipsaque Abbatia, purè, ac nudè ad suam sanctitatem spectaret, om-

nes tamen ſperare deberent à ſumma illius clementia paternaque prouidentia, illum cuiuis alij anteponi debere. Imò etſi aliquo vitio nobis incognito reiectus eſſet, non ideò tamen nos iure noſtro eligendi decidiſſemus cùm innocentes multari non poſſint.

PRIMVM.

CIVITAS METENSIS verè, & propriè atque primariò, Concordato Germanico continetur.



RIMA RATIO. Nicolaus Quintus ille ipſe Pontifex, qui cum imperatore Friderico, cæteriſque Principibus, & cum vniuerſa natione Germanica, anno ſalutis humanæ milleſimo quadringenteſimo, quadrageſimo octauo, concordata contraxit, id ipſe ex profeſſo ſpeciali diplomate adeò ſeuerè ſanciuit, nulla vt difficultas poſſit eſſe reliqua. Diploma autem

paulo ante ſanum, atque integrum in conſultatione retulimus.

Quo in diplomate celebri atque authentico quatuor potiſſimum complectitur rationes, quibus omnino conuincitur, ciuitatem Metēſem concordato intimè, ac propriè contineri. 1. Quod conradus Metenſis Epiſcopus, atque Metenſ. Capitulum ſtatim extincto ſchiſmate, ſanctæ ſedi Apoſtolicæ obedientiam, vnà cum aliis Germaniæ præſulibus, atque principibus præſtitiſſent. Conſtat autem Apoſtolicam ſedem, ad conſiliandam Eccleſiam diuturnis ſchiſmatibus laceratam, eos ex natione Germanica, qui maturè & opportunè vero, atque Germano Pontifici obtemperaſſent concordato Germanico arctiſſime deuinxiſſe, vt deinceps illa mutua, atque pontificia clementia vehementer obſtricti, in obedientia, obſeruantiaque Catholica permanerent. Vnde ſequitur neminē tota Germania arctius cōcordato, quàm ciuitatem Metenſem includi. 2 Quod pontifex maximus concordati author expreſsè voluerit, ſanxeritque primario concordato Treuerenſem Archiepiſcopum cum Eccleſiis, ſuffraganeiſque ſibi ſubiectis, ſi obedientiam ſuo tempore

pore exhibuiſſent, compræhendi; nemo vero eat inficias Metenſem Epiſcopum eius ſuffraganeum eſſe, ſimulque cum Germanicę Eccleſię pręſulibus exquiſitæ obedientiæ numeros expleuiſſe. 3. Quod Metenſis Epiſcopatus ipſius Alemaniæ finibus, quæ in concordato ipſo Germaniæ annectitur contenta ſit, idque ex idiomate, quo maxima pars Epiſcopatus etiam hodie vtitur, quoque ante triginta annos tota ferè ciuitas vtebatur, oſtendit; ad quod addimus nos, ex omnium hiſtoricorum ſententia ipſiuſque imperij chartariis, atque codicillis, Metenſem ciuitatem ſecundam imperij Metropolitanam cenſeri, ipſumque Epiſcopum ſacri imperij Principem & eſſe, & dici, cui iure feudi quamplurimi nobiles, Barones, Comites, Marquiones, ex intima Germania ſunt ſubiecti. Quare cum in ipſo principali concordato diſerte legatur cum principibus Germanicæ nationis tum ſecularibus, tum Eccleſiaſticis factum fuiſſe concordatum, nemo autem vnquam dubitarit Metenſem Epiſcopum dici, & eſſe, & fuiſſe ſemper imperij, hoc eſt nationis Germanicæ principem, atque ex eorum numero, qui obedientiam ſedi Apoſtolicę ſuo tempore ex-

hibuiſſent, ſane neceſſario conſequitur principale concordatum, etiam cum Metẽſi Epiſcopo fuiſſe contractum. Vt omittam dicere in Metenſi Epiſcopatu, viginti Archipresbyteratus contineri, in quibus vndecim, quæ eſt maior pars, in mera Germania, ſeu Alemania numerantur; atque cum præter collegiatas, & Monaſteria, ſolæ eccleſiæ parœciales quingentæ cenſeantur, eo numero ducentæ ſeptuaginta ſex in intima Alemania compræhenduntur. 4. Quod ipſe pontifex qui concordata ſanciuerat hoc ipſum concepto diplomate ex profeſſo declarat, Suæ intentionis ſemper fuiſſe & eſſe, vt Epiſcopus & ciuitas Metenſis concordati beneficio gauderẽt. IN OMNIBVS ET PER OMNIA PERINDE AC SI IPSI EPISCOPVS, CAPITVLVM, ET ALII COLLATORES HVIVSMODI IN EISDEM LITERIS, ET TOTALI EORVM SVBSISTENTIA COMPRAEHENDERENTVR ET INCLVDERENTVR, AC IN EIS NOMINATI SPECIFICE,. ET EXPRESSE FVISSENT. Quid poteſt ab vllo mortalium clarius, atque certius in eam rem afferri? Summus pontifex ait ipſe fuiſſe ſuæ voluntatis cum principale concorda-

tum faceret in eo Metenſem Epiſcopatum compræhendere; quis melius poteſt legis concordati mentem, quàm ipſe legiſlator exponere? aut quis poteſt ambigere id in cõcordato primario contineri, quod in eo ſe fuiſſe complexum ipſe legiſlator affirmat? Quod autem ſeparatum diploma pontifex edidit, eo fuit, non quod neceſſe eſſet; aſſerit enim ipſe legis author ſe Metenſem Epiſcopatum primario concordato complexum eſſe, neque quòd ſpeciali gratia id ad inſtar præſtiterit, expreſſiſſet enim conceptis verbis, ſed ideò quia iã ab initio quidam ſeditioſi, & quietis publicę perturbatores quadam prurigine litigandi illam dubitationem mouerant ad iniquas lites de alternatiuis excitandas, quæ adhuc hodie tametſi ſeueriſſimè ab ipſo legiſlatore compreſſæ, maxima noſtra iniuria excitantur, cùm nulla penitus dubitatio in ipſius legis conceptis verbis contineatur. Omnes autem confidimus fore vt ſua Sanctitas non minus iſtas lites Deo maximè inuiſas, & publicæ vtilitati, & Religioni Catholicæ admodum pernicioſas deteſtetur, quàm Nicolaus Quintus, aut cæteri ſummi pontifices, quibus neque clementia, neque æquitate, neque

ſanctimonia vllo modo cedit.

SECVNDA RATIO, cur ciuitas Metenſis concordato Germaniæ comprehendatur, ea eſt, quòd ſummi pontifices, qui hactenus ſedi Apoſtolicæ præfuerunt, imò quod caput eſt, ipſemet PAVLVS V. ſunt aperte profeſſi id ita eſſe; adeò vt nullus omnino reperiatur omnium pontificum maximorum memoria, qui ius illud noſtrum concordati Germanici ipſa luce clarius in dubium vnquam reuocare voluerit; quod maximum & inexpugnabile noſtræ cauſæ firmamentum confidimus eſſe.

Neque obiici poteſt pontifices maximos cum concordato nos contineri ſuis diplomatibus expreſſerunt, id ad inſtar intellexiſſe, primo enim Nicolaus V. vt vidimus, ait, cum concordatum principale contraheret, ſuæ mẽtis fuiſſe in eo tunc Metenſem Epiſcopatum comprehendere; ergo iam ſub concordato erat, antequã id ſpeciali diplomate declararet. Deinde cùm res eſſet ſummi momenti, certè id minimè tacuiſſent, ſaltemque ſemel, poſt omnium hominum memoriam, expreſſiſſent. Si autem aliquando aliqui in ſuis diplomatibus dixerunt, ius concorda-

ti germanici ad Episcopatum Metensem fuisse authoritate Apostolica extensum, ideò est, vel quia id nobis non vocatis, atque indicta causa perfunctoriè dictum est, vnde præiudicare nobis non potest, vel certè quòd in ipso concordato principali expressè natio germanica ad Alemaniam, qua Metensis Episcopatus cõpræhenditur, extendatur, quod Nicolaus Quintus concordati author conceptis ipse verbis declarat: quare ex illa extensione consequitur, nos principali concordato fuisse compræhensos, cùm in eo ipso facta fuerit ipsa extensio. Sunt enim concordati principalis huiusmodi verba. *Et per hoc quod in concordatis huiusmodi, siue quibusuis alijs eorum occasione conficiendis literis propter compendiosiorem descriptionem Alemania specialiter appellatur, natio ipsa censeri non debet à Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata.* Metensem autem Episcopatum Alemania contineri nemo vnquam dubitauit. Ipseque Nicolaus V. concordati author, vt vidimus, ipse declarat his verbis. *Cum magna pars nedum diœcesis, imò & ciuitatis Metensis in Alemaniæ limitibus, in quibus per habitatores Teutonico eloquio communiter vtitur constituta existat, nosque etiam voluerimus quod*

Alemania à natione Germanica separata non foret. Quod si maioribus nostris sancta Apostolica sedes id sine vlla difficultate concessit, cur nobis solis nulla nostra culpa denegetur? *Certè iniuria fit successori si illi priuilegium denegetur, quod prædecessori eius fuit concessum.* Inquit Glossa à Panormitano cæterisque laudata in 1. de postulatione prælatorum, cap. 2. Bonæ memoriæ. idque demonstrat ex iure ciuili. ff. de aqua quotid. & æst. l. 1. §. penult. vbi dicitur si aliquis haberet speciale priuilegium à principe acceptum ducendi aquam ad fundum suum, ei fieri iniuriam, qui succedit in fundo, si ei priuilegium simile denegatur.

Ecce verò ne in infinitum abeamus pauca, atque postrema, in omnibus ciuitatis Metensis Monasteriis, aliisque dignitatibus monimenta concordati Germanici immemorabili, & irrefragabili possessione tot sæculis confirmati: in omnibus verò litibus terminandis VLTIMVS BENEFICII STATVS ATTENDITVR.

Primus occurrit Episcopatus à quo equidem cæterorum beneficiorum regula peti debet. Certè in diplomate illustrissimi Cardinalis de Giury in Metensem Episcopum confirmati ita Paulus V. Pon-

tifex Max. ipse sine vlla exceptione, aut anbiguitate loquitur. *Dilecti filij Capitulum dictæ Ecclesiæ (Metensis) ad quos iuxta Concordata inter sedem Apostolicam, & nationem Germanicam inita, sub quibus Ecclesia ipsa comprehenditur electio personæ idoneæ, per Romanum Pontificem pro tempore existentem eidem Ecclesiæ dum vacat ad electionem huiusmodi præficiendæ, pertinere dignoscitur pro futuri Episcopi Metensis electione celebranda, vocatis omnibus, &c.*

Quæ eadem verba in diplomate ipsius successoris per accessum designati domini Marquionis de Verneuïl, ne syllaba quidem immutata, reperiuntur, ab eodem summo Pontifice Paulo V. expressa, imò etiam vti certis authoribus accepimus suā ipsam sanctitatem non piguit in tanta totius mundi Christiani cura, cùm de negotio episcopatus Metensis illustrissimo Cardinali Giuryo per postulationem conferendi ageretur, rem totam accuratius per seipsam, aliósque cognoscere. Quare cum Domino Marquemontio Gallo Rotæ auditori viro clarissimo, integerrimo ac celeberrimo mandasset, vti rem exactius exploraret, suáque sanctitas in id incubuisset, ferunt suam sanctitatem iis, quæ

comperta fuerant, quçq. ipſa etiam comperiſſet, perſuaſam aſſeruiſſe ciuitatē Metenſem alterius rationis à Tullenſi & Virdunenſi videri, certóque Concordatis Germaniæ compræhendi: nec ſanè aliter ſentire potuit, cùm ea forma, vt iam dictum eſt, diploma conceſſerit.

De Capitulo cathedralis Eccleſiæ nihil eſt laborandum cum vſus immemorabilis, qui in diſpoſitione beneficiorum omnium ſemper obſeruatus eſt nihil ſit aliud, quàm ipſa integra forma ſpirans, ac loquens totius Concordati Germanici. Nam prima dignitas à ſummo Pontifice confertur, decanatus, & aliæ ſola electione conſiſtunt: Canonicatus alternis menſib. à ſua ſanctitate, alternis à Capitulo, videlicet Febr. Aprili, Iunio, Auguſt. Octob. Decēb. cōferuntur. Hoc nulla cōtrouerſia pacificè vſque hodie obſeruatum eſt: nunquam ſuper ea re litigatū: aut ſi aliquādo litigatum eſt, noſtro iure cognito, ſemper omnia ab ipſa forma concordati ſummi Pontifices definierunt, quo argumento nullum potentius, nullum efficacius adduci poteſt. Porrò eadem omnia in cæteris collegiatis religioſiſſimè retinentur, videlicet ſancti Saluatoris, & ſancti Theobaldi,

vt nihil ſit neceſſe in re ipſo ſole clariori hærere diutius.

Sequuntur Abbatiæ Metenſes numero ſeptem, quatuor virorum, tres monialiũ, præter Ciſterſienſem, & Præmonſtratenſem, quæ omnes iure concordati, nec nõ electionum beneficio vſæ ſunt, ac de omnibus dicere nimis longum, de tribus præcipuis commodum erit, quæ ordinis eiuſdem ſancti Benedicti habentur.

Abbatiam ſancti Vincentij iuxta concordata Germaniæ ſemper elegiſſe, tum ex plurimis prouiſionib. tum ex his duabus apparet. Nam domini Claudij Iacobi de Leocuria à ſummo Pontifice Paulo III. ſecundum concordata Germanica verbis conceptis, confirmata electio eſt. Anno domini milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo nono. 3. Kal. Iunij.

Dominus Ioannes Saulnerius, qui adhuc viuit eodem iure Germanici concordati ſublectus eſt, eiuſque electio à Clemente VIII. Confirmata, anno milleſimo ſexcenteſimo Kalendis Octobris. Qui initio cùm illi Abbatiam motu proprio voluiſſet concedere, nondum de noſtris iuribus ſatis inſtructus, re tamen accuratè perpenſa, more aliorum ſtatim ex electio-

num iure concessit, eiusque electionem facile confirmauit, in hæc ipsa verba sacro consistorio repræsentatam, atque conceptam, *Monachi seu Religiosi eiusdem Monasterij (sancti Vincentij) libere congregati, coadunati, & in vnum conuocati pro electione noui Abbatis in dicto Monasterio facienda, & celebranda iuxta canonicas sanctiones, & ordinis salubria statuta, & sicuti inueterata consuetudine vigore inclytæ nationis Germanicæ concordatorum prædecessores monachi, & religiosi eligere consueuerunt.* Ad quæ summus Pontifex omnino consensit, & iuxta eadem iura electionem confirmauit, vt patet ex ipso diplomate, quod ne nimis prolixi simus, omittimus.

Ad Abbatiam sancti Symphoriani. Paulus III. Eodem iure concordati electionē desiderij Regis confirmauit anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, octauo Kal. August. *Quem dilecti filij Conuentus eiusdem Monasterij ordinis sancti Benedicti ad quos electio Abbatis ipsius Monasterij, dum pro tempore vacat, iuxta cōcordata nationis Germanicæ, &c. Seu alia priuilegia Apostolica pertinet. Pro futuri inibi Abbatis electione celebranda, vocatis omnibus. &c.*

Illa aliorum; hæc nostra & propria, quæ

authētica, & minimè vitiata producimus: nam post vrbem Metensem protectioni Regię deditam, tres modo Abbates Abbatiæ S. Arnulphi extitere.

Primus Benedictus Iuinuillanus anno Domini M.D X L V. in cuius diplomate à Paulo III. summo Pontif. hæc authētice exprimuntur. *Quod tu, qui vt asseris per dilectos filios eiusdem monasterij (S. Arnulphi) & Conuentum, ad quos ius eligendi Abbatē illius, dum pro tempore vacat, ex concordatis nationis Germanicæ, &c. seu ex indulto Apostolico pertinet pro futuri inibi Abbatis electione celebranda, vocatis omnibus, &c. Via Spiritus sancti concorditer electus fuisti.* Addit ex indulto, quia non solum iure concordati, verùm etiam indulti gaudent, vt videbimus.

Secundus Desiderius Toussanus anno Domini M.D L X X V I. in hanc formā à Pio V. in Abbatem concepto diplomate confirmatus. *Dilecti filij Prior & Conuentus dicti monasterij (S. Arnulphi) pro futuri inibi Abbatis electione celebranda, vocatis omnibus qui voluerunt, &c. Te Priorem claustralem dicti monasterij ordinem ipsum expresse professum in presbyteratus ordine constitutum in suū & ipsius monasterij, sic vt præfertur vacātis abbatem iuxta cōcordata nationis Germanicæ, &c.*

via Spiritus sancti concorditer elegerunt, &c. quæ eadem verba in relatione solemni in sacro consistorio facta quam præ manibus bemus iterantur.

Tertius atque vltimus Carolus Sennetonus, à Clemente octauo, anno 1594. in coadiutorem Desiderij Toussani admittitur, verum cum coadiutio tantum extiterit, in qua tamen iuris eligendi religiosis concessi mentio habetur, non debet censeri à Toussani prouisione diuersa.

Verum ne in re appertissima hærere videamur, addimus id quod debet esse instar omnium. Graues, & irrefragabiles habemus Rotæ præiudicatas de eadem difficultate sententias. Anno Domini 1513. voluit summus pontifex nostram Abbatiam S. Arnulphi Domino Ioanni serenissimi Ducis Lotharingiæ germano fratri proprio motu conferre. Nos iura nostra concordati germanici defendere aggressi negotium agitauimus. Litem habemus contestatam, publicumque processum, quẽ exhibebimus, vbi testes vtrinque auditi, varias Rotæ decisiones proferunt, quibus iam pridem præiudicatum est Metensem vrbem, adeoque nostram Abbatiam ad concordata germanica pertinere: tandemque in causa pręcipua obtinuimus,

valuitque noſtra electio vt nihil ſit neceſſe plura congerere. Præſertim verò cùm à Rota nunquam aliter fuerit iudicatum, in cauſis eiuſmodi. Illuſtriores tamen illæ deciſiones minimè ſunt prætereundæ. Vna de Eccleſia quadam parochiali coram R. D. guidobono 19. Nouembris, an. 1552. teſte Caputaquenſ. deciſ. 178. parte prima. Et alia coram R. P. D. de Rubeis 29. Nouembris, 1577. Et alia coram illuſtriſsim. D. Blanchet. die 13. Iunij, an. 1581. Et aliis quamplurimis, qua paſsim exhibentur.

TERTIA RATIO, qua nos Germaniæ concordato fulciri demonſtratur, ex regũ teſtimoniis petitur, qui omnes ab eo tempore, quo in ſuam protectionem Metenſem Vrbem ſuſceperunt, per Regias litteras conceptis verbis noſtrum illud ius non modo agnouerunt, verum etiam ſanctum atque inuiolatum ſemper eſſe voluerunt; noſque in illo Regia authoritate tutati ſunt: ea ſi quidem conditione ciuitatem ſub ſua tutela Regia ſuſceperunt, vt in perpetuum omnia illius priuilegia, præcipuè vero Eccleſiaſtica iura, ſarta, tectaque conſeruarent, quod ipſimet Reges ſanctè cum ciuibus ſine controuerſia ſtipulati ſunt, ac ne omnibus recenſendis nimium immoremur, tres vltimi ſatis eſſe poterunt inſtar

omnium.

Henricus III. per Regias litteras anno Domini 1576. 5. Septembris expeditas, quas fideliter è Gallico Latinas fecimus. *Cum sæpe numero Religiosi, Abbas atque Conuentus sancti Arnulphi ordinis sancti Benedicti apud Metenses Carissimo Domino & fratri nostro Regi Carolo IX. bonæ memoriæ, nobisque ad regni gubernacula appulsis exposuerint se præfata Abbatia vacante fra. Benedicti Iuniuillani obitu ex eo tempore Abbatem fra. Desiderium Toussanum Abbatiæ Priorem elegisse, prout illis per concordata Germanica est consuetum, atque concessum, &c.*

Henricus Magnus, qui tertio in regno successit clementissimus atque potentissimus priuilegiorum Metensium conseruator ac tutor, etiam Regiis Codicillis efficacius hæc eadem ipsa sanciuit; Anno Domini 1596. mense Nouembris. *Nos gratia nostra speciali, absoluta potestate, & authoritate Regia, hoc nostro edicto æterno sanciuimus, vt præfati primicerius, Decanus, Canonici, Capitulum, & vniuersus Clerus Metensis, conseruentur, protegantur, vti eos conseruari, ac protegi volumus, sub iure priuilegiorũ concordati nationis Germanicæ, quoad suorum beneficiorum dispositiones, quemadmodum hactenus semper ritè, & pacificè vsi, ac potiti sunt, hodieque etiam*

vtuntur,potiunturque, &c.

Ludouicus XIII. maximi, potentissimi, clementissimi parentis Henrici Magni filius clementissimus atque potentissimus, pari benignitate superiores Henrici Magni litteras verbo ad verbum, Regina præsente, sancienteque, & singula concordati Germanici, aliaque vniuersa nostra eadem iura Rhemis, cùm cœlesti oleo in Regem inauguratus vngeretur, & quasi ad ipsa suæ inaugurationis altaria confirmauit, Anno 1610. mense Octobri.

Atque imprimis cùm, vltimo Abbate nuper extincto, Breuetum quoddam regium, vt vocant, vti in nouo regno subrepticium Abbatis frater à Rege impetrasset, nos veriti, ne eo pacto priuilegia nostra electionum, atque concordati Germanici violarentur, nostrum postulatum orauimus, totiusque Cleri Metensis, vt moris est, opem, & adiunctionem adhibuimus, vt ad sanctius, secretiusque Regis consilium se conferrent, eo animo vt subreptitij breueti fraude Regi detecta nobis iura nostra, sancta, atque integra Regis edicto seruarentur. Quod Regis clementissimi benignitate, Reginæ sanctissimæ, & Christianissimæ summa religione, totius-

que Regij consilij mirabili æquitate obtinuimus, cuius edicti Regij solennissimi authoritate, breuetum illud antiquatum, reiectumque est, ius electionis concordati Germanici Clero Metensi nobisque seruatum, nostriq. postulati postulatio Regi reginæque, atque vniuerso consilio benignè probata, laudataque: in quo noster postulatus, non modo rem præclaram, & ad posteritatem cum gloria transmittendam, pro priuilegiis Cleri Metensis præstitit, verum in eo ipso sanctæ sedi Apostolicæ, Ecclesiæque vniuersæ operam nauauit. Ecce autem edicti sententiam, ad memoriam Regis beneficentissimi sempiternam.

LVDOVICVS DEI GRATIA REX FRANCORVM, ATQVE NAVARRAE, *Omnibus ad quos litteræ præsentes peruenerint, salutem. Dilectissimi nostri Clerus vniuersus ciuitatis, & totius ditionis Metensis, & Religiosi Prior, & Conuentus sancti Arnulphi ordinis sancti Benedicti in eadem ciuitate, nec non dilectus noster, ac fidus. Mr Andreas Valladerius Sacræ Theologiæ Doctor Consiliarius, Eleemosiniarius, & concionator noster ordinarius, nobis humillimè exponi fecerunt, indultis antiquissimis summorum Pontificum, atque concordatis cum*

natione

natione Germanica initus se ius eligendi cum res postularit in beneficijs electioni subiectis ciuitate, & ditione Metensi comprahensis, semper hactenus habuisse. Quare etiam iura eadem sibi conseruata, atque confirmata fuisse à Regibus qui nos præcesserunt, speciatimque à nobis, qui illis in eum finem nostræ declarationis, protectionis, & confirmationis litteras Rhemis mense Octobri concessimus. Quorum omnium iure freti Religiosi præfatæ Abbatiæ sancti Arnulphi, cum mense Iunio elapso ipsorum Abbatia obitu Caroli Sennetoni vacante, loco defuncti Abbatis canonicè postulassent præfatum Magistrum Andream Valladerium virum ad rerum Abbatiæ, tam spiritalium quàm temporalium gubernationem valdè capacem, atque idoneum, nobisque ideò humillimè supplicarint vti eos ad suorum priuilegiorum effectum conseruare, ac protegere dignaremur, proindeque postulationem ab ipsis factam gratam & ratam haberemus: tum etiam œconomatus litteras, aliasque Ludouico Sennetono, aut alij à nobis concessas reuocare, & antiquare dignaremur, illique & cuilibet alij prohibere, ne præfatos Religiosos, Priorem, atque Conuentum, in bonorum ac iurium Abbatiæ administratione turbare vllo modo audeant. Quorum omnium attenta ratione habita, postquam rem omnem sanctiori nostro consilio discutiendam, litterasque Regum

prædecessorum nostrorum, nostrasque præfatis Religiosis sancti Arnulphi, Cleroque Metensi vniuerso pro suorum iurium, & priuilegiorum confirmatione concessas, nec non postulationem præfatam de præfato Magistro Andrea Valladerio factam peruidendam commisissemus, Regina honoratissima domina, & matre nostra præsente, & sanciente, Regiæ stirpis Principibus, alijsque Principibus, ac primarijs Regni officiarijs, & alijs quamplurimis nostri consilij amplissimis viris adsistentibus. NOS PRVDENTI CONSILIO nostræ dominæ ac matris Reginæ freti, nec non confisi de fidelitate quam ad nostra obsequia semper exhibuit præfatus Dominus Valladerius postulatus, de egregijs etiam atque eximijs dotibus quibus est præditus perfectè instructi conscijque, gratia speciali, absoluta potestate, & authoritate Regia, præfatæ postulationi consentimus, & gratam habemus, quam de præfato Magistro Valladerio ad Abbatiam sancti Arnulphi, vti dictum est, fecerunt. Insuper seuerè inhibemus, prohibemusque præfato Ludouico Sennetono alijsque omnibus, ne litteris nostris ad œconomatum, alijsque concessis vtantur, quas nullius momenti esse volumus, vetamusque ne illarum vi Sennetonus aut quiuis alij audeant imposterum se gubernationi aut administrationi rerum ac fructuum præfatæ Abbatiæ ingerere, aut vllo modo immiscere;

Verum ipſos Religioſos, Priorem, atque Conuentum ſancti Arnulphi omnia colligere, regere, & adminiſtrare liberè ſinant, vt ipſorum futuro Abbati præfato poſtulato ſeruentur, ac ſi quæ iam vi litterarum ad œconomatum prædictum conceſſarum percepta fuerunt, illis reſtituantur omnium reddita, atque exacta ratione. Dilectiſsimo igitur, ac fido cognato noſtro mandamus Duci d'Eſpernon Pari Franciæ, &c. In quorum omnium fidem ſigillum noſtrum præſentibus apponi iuſsimus. Datum Pariſiis 13. Septembris, annò ſalutis 1611. Regni noſtri ſecundo.

LOVYS.

Ex quibus omnibus manifeſtò conuincitur ciuitatem Metenſem verè, & propriè, atque primariò concordato Germanico contineri: Quare cùm in cauſa Abbatiæ Belli Campi Epiſcopatus Virdunenſis Rota Romana concluſit Tullum, Virdunum & Metas tantum ad inſtar ad concordata Germanica pertinere, nihil nobis præiudicare potuiſſe: deceptam enim fuiſſe apparet ſimilitudine Virdunenſis & Tullenſis Epiſcopatuum, qui tantum ad inſtar, & peculiari priuilégio à Leone X. impetrato concordatis continentur, noſque indemnatos, & inauditos, atque, indicta cauſa, nulla noſtra defenſione, in re tanti mo-

menti damnari iure non potuiſſe, nemo eſt qui non facile intelligat, maxime vero cũ ſæpe in contrarium vi concordatorum Germaniæ, eadem Rota hactenus in noſtri gratiam iudicauerit, prout iam ſupra demonſtrauimus. Quæ autem fuerit cauſa huius differentiæ inter Metenſem, & Virdunenſem Eccleſiam, ſatis ea ex Vvasburgo colligitur, in lib. antiquitatum Galliæ Belgicæ, fol. 490. & ſequent. Cum enim circa ea tempora quibus concordata Germaniç contracta fuerunt, Eccleſia ſchiſmate inter Eugenium, & Felicem laboraſſet, Virdunenſis Eccleſia, vt patet ex eius decreto ibidem per Vvasburgum relato, decreuit à partibus Galliæ Regis ſtare, quæ tum ad ſchiſmaticum vergebant, eodemque decreto ſtatuit quo ad beneficia pragmaticam ſanctionem admittere, quam Biturigibus in nationali ſynodo Carolus ſeptimus Regno vniuerſo induxerat. Quare cum è contrario Metenſis Epiſcopus, vti ex diplomate Nicolai V. demonſtrauimus mature Germano Pontifici obedientiam præſtitiſſet, ideoque ſub concordatis Germaniæ comprætenſa fuiſſet, accidit ſatis longuo poſt tempore, vt Virdunenſes ſuſceptæ pragmaticæ ſanctionis pœniten-

tes, iam ſedato ſchiſmate, cum à Leone X. pragmaticam ſanctionem funditus, proh dolor! abolitam vidiſſent, ab eodem Pontifice petiuerunt, vt peculiari diplomate illis beneficio concordati Germanici vti liceret, veriti ne concordato Gallico à Leone inducto inuoluerentur, eoque pacto ius electionum amitterent. Quare cum ſe ipſi ſanctioni pragmaticæ, vſuique Gallicanæ Eccleſiæ vltro ſubieciſſent, ſingulari beneficio ſummus Pontifex illos concordato adiunxit Germanico, cum gallico ſubiici debuiſſent.

SECVNDVM.

IVRE CONCORDATI Germanici, non modo electiones, verum etiam postulationes iure eodem comprӕhendi, & suam sanctitatem ad vtrasque pari iure teneri.



RIMA RATIO, quia conceptis verbis ipsamet concordata omnem penitus beneficiorum dispositionem, nulla penitus excepta, tantum abest vt postulationes excipiant, complectuntur, in hæc conceptissima verba: *Placet etiam nobis quod per quamcumque aliam reseruationem, gratiam expectatiuam, aut quamuis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma per nos vel authoritate nostra factam, vel faciendam, non impediemus nos quominus de illis cum vacabunt de Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti Octobris, & Decembris mensibus libere disponatur per illos ad quos eorum collatio, prouisio, præsentatio,* ELECTIO, SEV QVAEVIS ALIA DISPOSITIO *pertinebit, reseruatione, aliaue*

quauis dispositione authoritate nostra factis, vel faciendis non obstantibus quibuscumque. Quæ eadem ipsa verba in declaratione Nicolai V. de ciuitate Metensi superius allata, ne apice quidem immutato, referuntur; Præterea constat vt nihil omittamus postulationem nostram, mense Iunio fuisse factã. Porro postulationes variè illis verbis compræhenduntur. 1. *prouisio.* 2. *dispositio.* 3. *electio.* per prouisionem posse postulationem intelligi, nemo potest dubitare cum hactenus nemini fuerit dubium, postulationem esse aliquam prouisionem. Equidem Hostiensis in 1. de postulatione prælatorum, exactissimè. nam cum in definitione postulationis posuisset, *ad prouidendum Ecclesiæ,* subiungit. *Hoc ideò dixi,* inquit, *quia tribus modis prouidetur Ecclesiis; per electionem Canonicam. Item per postulationem concordem, & de his duobus modis prouidendi. 1. ca. bonæ memoriæ. 2. per nominationem & solemnem prouidetur, & de his tribus habes. c. bonæ memoriæ.* 1. Ac sane id expressissimè habent verba Canonis quæ citat, quæ sic habent. *Mandantes quatenus cum his, qui vocem in electione habere noscuntur per electionem, postulationem, seu nominationem Canonicam in personam idoneam conuenire curetis: vbi Glossa, Quia talis nomi-*

natio satis similis est postulationi, imò quasi idem est, vnde dicit postulationem, seu nominationem. Quod etsi nõ esset, etsi est tamẽ. Nemo nõ videt cùm summus Pontifex QVAMVIS ALIAM DISPOSITIONEM, ait, nullam omnino excipere, cum præsentationes etiam apponat postulationibus multis partibus inferiores; ipsaque postulatio sit sine vllo dubio aliqua dispositio; alioqui numquam in iure Canonico postulationum mentio haberetur, si beneficiorum non esset aliqua dispositio.

Quod si quis obiiciat in concordato postulationes minimè nominari, sed inibi, illa tantum esse in hunc modum expressa. *Fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam sedem referantur, quas etiam ad tempus fœlicis record. Nicolai Papæ III. quæ incipit Cupientes expectabimus, & elapso dicto tempore si non præsentatæ, vel si præsentatæ minus canonicæ fuerint, prouidebimus, & si canonicæ fuerint eas confirmabimus, &c.* Hoc vero est in hac causa potissimum explicandum, cum in eo totius negotij, sine controuersia, cardo versetur.

SECVNDA RATIO. Igitur illa ipsa est inexpugnabilis concordato Germanico non electiones modo, sed postulationes etiam compræhendi, quia nomine electio-

nis postulationes pariter continentur: imprimis enim ea est omnium canonistarum, nemine excepto, qui sit alicuius nominis aperta & indubitata sententia. Qui vno consensu decernunt eidem esse ius postulandi, cui ius est eligendi: quod vt facilius explicent duo postulationum genera distinguunt: vnum earum quæ sunt factæ in discordia, id est dimidia aut maiori electorum parte dissentiente, vel cùm aliquis electorum conqueritur se fuisse contemptum, & iniustè omissum, vel cum etiam omnium consensu postulatur, qui non est idoneus, videlicet spurius, infans, illiteratus, aut similis: aliud eorum, quæ concordi omnium, vel duarum partium consensu de viro idoneo, & ad maiorem vtilitatem Ecclesiæ factæ fuerint, quæ postulationes canonicæ atque concordes appellantur. Atque inde concludunt priores illas, quas diximus esse triplicis generis, non canonicas; mera gratia superioris niti, neque ad eas vllo modo teneri, posteriores autem etiam iure niti; atque ad eas superiorem omnino teneri, quamuis aliqua etiam gratia nitantur, quòd qui postulatur aliquo modo inhabilis est, cui gratia superioris supplere debeat: verum hoc quoque con-

cludunt ad eam ipſam gratiam faciendam ſuperiorem reuera teneri; vnde apparet, eos qui ſemper in ore habeant poſtulationes ſola gratia niti, aut nihil omnino, aut parum in iure canonico eſſe verſatos. Hæc igitur paucis expedienda. 1. Qui ius habeant eligendi habere poſtulandi: 2. poſtulationes canonicas iure niti, non ſola gratia, non canonicas autem niti ſola gratia: Quare ſimpliciter, & abſolutè ad poſtulationes canonicas admittendas ſuperiorem teneri, neque eas ſine poſtulati, & poſtulantium iniuria recuſare poſſe. 3. gratiam poſtulationibus etiam canonicis aliquam ineſſe, verum illam non eſſe ſpecialem, ſed generalem gratiam, atque ad illam, quæcumque ſit faciēdam ſuperiorem teneri, neque eam poſſe ſine iniuria recuſare. 4. quomodo intelligendum ſit ſummum Pontificem ad concordata, ad electiones, & ad poſtulationes teneri; Id eſt, quid ſit gratia generalis.

I. Quærit Syluester, quis poſſit poſtulare, reſpondet, *omnis qui poteſt eligere. Verb. poſtulatio.* Idem Hoſtienſis quem citat: exponit exactè Panormitanus in 1. Bonæ memor. 2. de poſtulatione prælat. §. 3. *Præſcribens ius eligendi in aliqua Eccleſia dicitur præſ-*

ſcripſiſſe etiam ius poſtulandi. Probat ex ipſo canone Bonæ memoriæ. *Hoc notanter probat iſta littera in principio, nam iſti Suffraganei dicebant poſtulationem attentatam eis contemptis, qui ius habebant eligendi vna cum canonicis & ſic ex iure eligendi, inferebant ad ius poſtulandi*. probat ratione. *Quia præſcribens ius eligendi habet reſpectum ad acquirendum ius in genere*. POSTVLATIO AVTEM EST QVASI PARS ELECTIONIS: *& per poſtulationem peruenitur ad effectum electionis*. Probat luculenter ex 1. decretalium Can. in cauſis. de electione. Vbi apertiſſimè capitulum Tholoſanum, cui erat facultas eligendi, cùm vſque ad duas electiones feciſſet non concordes, poſteà Epiſcopum Conuenarum poſtulaſſet, electiones reiectæ fuerunt, poſtulatio verò, quia fuerat concors, fuit admiſſa: ea de cauſa quod quibus fuerat iuſſum vt eligerent, poſtulauerant, vt ibi in hæc verba dicit Pontifex. *Quia vero poſtulatio de Epiſcopo Conuenarum, quæ præceſſerat (electionẽ) facta erat per eos in quos totum capitulum eligendi tranſtulerat poteſtatem, propter quod vnanimiter de conſenſu totius capituli intelligitur eſſe facta, electionem ipſius Archidiaconi decernimus irritandam. Quocirca mandamus, &c.*

In quem canonem glossa pulcherrimè. *Hic habes quod qui dati erant ad eligendum possint postulare.* Et postea affert eandem rationem quam ex Panormitano attulimus, *quod à postulatione ad electionem, seu ad effectum electionis perueniatur.* Eiusdem sententiæ sunt Anchar. in cap. final. de postul. prælat. Decius in rubr. eod. tit. num. 5. Et alij in dict. cap. final. Est autem adeò verum eum qui habet ius eligendi habere etiam postulandi, vt postulatio, quod ex citato canone clarissimè apparet electioni præferatur: in eo siquidem omnes canonistæ conueniunt, si postulatio fuerit cõcors, electio vero à duabus tantum partibus, vel si postulatio fuerit duarum partium, electio autem tantum vnius, fore omnino vt electio reiiciatur, postulatio admittatur. Gloss. in 1. c. Bonæ memoriæ. 1. *ad hoc enim vt postulatio præiudicet electioni requiritur vt numerus postulantium sit duplo maior numero eligentium.* Vbi statim obiicit glossa, videri minimam partem eligentiũ debere præferri multis postulãtibus, quod vulgo dicatur postulationem inniti soli gratiæ, electio vero iuri nitatur, sibique respondet *postulationem & gratiæ, & iuri niti, & fieri iniuriam postulato, imò & postu-*

lanti Ecclesiæ, si postulatus idoneus non admittatur, sed hoc statim ex professo tractabitur. At frustrâ hîc insudamus, cùm sit canon ex professo in eam sentẽtiam cur & quando postulatio electioni præferatur in 1. de electione ca. scriptum. & vbi sunt pro hac sententia textus, & Glossæ mirabiles : interim ea ex modo dictis certissima conclusio inferatur necesse est. Nos Religiosi Sancti Arnulphi, qui decem ad electionem conuenimus, si ex nobis quatuor aliquem ex nostro numero elegissent, cæteri sex dominum Valladerium postulassent, certe ex iure, atque ex omnium Doctorum sententia postulatus electo præferendus esset, itâque in iudicio absque dubio decerneretur, vnde satis supérque concluditur, qui habeant ius eligendi, habere pariter postulandi; cui veritati tamen ne vllus scrupulus relinquatur, addenda insuper est exquisitissima glossa, apud Gratianum in 1. distinctio. 61. ca. nullus inuitis: *Quid si data est aliquibus potestas vt eligant & ipsi postulant extraneum? tenet postulatio, licet autem apertè sint egressi fines mandati, tamen fecerunt id quod est vicinum mandato, vt. ff. Iud. sol. iam tamen §. vltimo*: vbi notãdum in textu canonis postulationem à summo Pontifi-

ce vocari electionem his verbis. *Tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clero nullus dignus poterit reperiri.* Hoc autem est postulari, ideóque præcipit Pontifex, vt quando non inuenitur qui eligi possit in aliqua Ecclesia, alius aliunde postuletur.

Ex quo Panormitanus in 1. de postulatione prælat. super Rubricam ait olim in iure canonico electionis, & postulationis nomina idem fuisse, & pro eodem vsurpari consueuisse. Item haud dubiè censet Rebuffus in concordata Franciæ, vbi hæc habet. *Quid si postulauerint aliquem an valeat? Videtur quod sic, quia iura loquentia in electione, habent etiam locum in postulatione, gloss. in cap. 1. de postul. prælat. & in cap. finali de electione in 6. Et hoc cum agitur de electione in genere*, vt fit in nostra causa. Nam in concordatis Franciæ dubitat Rebuffus an speciatim etiam sit relictum ius postulandi: cùm enim illud concordatum Regiũ interdixisset omnes electiones, & postulationes in genere. §. 1. postea in §. vltim. tantum reseruat iis qui habent eligendi priuilegium electiones, nulla facta mentione postulationum, vnde est probabile non reseruasse postulationes, quare addit

Rebuffus, *contrarium fortè erit verius de stricto iure*, hoc est in concordato cum Rege inito, quamquam ſanè etiam in eo Rebuffus fallitur: nam paſſim in Gallia nulla penitus fit differentia inter electiones & poſtulationes apud eos qui ius habent electionum; quod doctiſſimi quique aduocati Pariſienſes reſponderunt: idque ipſa praxis quotidiana teſtatur, vt in Abbate S. Genoueſæ intra muros Pariſienſes, qui fuit nuperrimè poſtulat⁹. Quod à. Rebuf. in §.1. ait. Poſtulationem admitti ex gratia non de rigore iuris, intelligit de poſtulatione diſcordi. Nam citat cano. 1. Bonæ memor. de poſtulat. prælat. vbi agitur de poſtulatione diſcordi, vt ante vidimus, Quare Rebuffus notat ibidem duplicem poſtulationem, & remittit ad gloſſ. quam modo citauimus in noſtram ſententiam. Ac reuera in principali concordato Germaniæ vtrumque pro eodem habuiſſe videtur Pontifex: vbi enim beneficia apud ſanctam ſedem vacatura reſeruat ſummo Pontifici, ita loquitur, *Nec non ad quæ aliqui in concordia vel diſcordia electi, ſeu poſtulati fuerunt, quorum electio caſſata, ſeu poſtulatio repulſa, vel per eos facta renunciatio, & admiſſa authoritate noſtra extiterit, &c.* Vnde

etiam deducitur potētissimum argumentum per electiones etiam postulationes in concordatis intelligi, cùm enim summus Pontifex illas sibi postulationes æquè, ac electiones reseruet, cùm vacarint beneficia in Romana curia, equidem sequitur si in Romana curia non vacarint postulationes, non magis quam electiones sanctæ sedi esse reseruatas: contractus enim est reciprocus & illa disiunctione *electi seu postulati*, se eandem rem compræhendisse significat. Adde priuilegia esse amplianda, ex vulgata regula, odia vero restringenda, quo argumento Zacharias in Panormitanum in 1.cap.Bonæ memor.2.vtitur ad probandum qui habeāt ius eligendi habere postulandi: nam quæ in toto iure odiosa in pœnam de electionibus sanciuntur, eadem ad postulationes extenduntur, vt glossa in 1. de postulatione prælat.can. Ad hæc. *Qui sciēter indignum elegerint eligendi ea vice potestate nouerint se priuatos, & ad postulationem extenditur, vt hic & 1. de elect.cap.bonæ memoriæ.in fin. Et hoc ideò est, quia per postulationem peruenitur ad electionē.* Hæc glossa pulcherrimè; ex quibus efficitur multo magis quæ de electionibus in concordato dicuntur in gratiam, ad postulationes

ſtulationes protendi debere. Ergo qui habent ius eligendi, habent etiam poſtulandi.

Iam poſtulationes canonicas non ſola gratia ſed iure niti; non canonicas autem ſola tantum gratia conſiſtere. Etſi ex proximè dictis ſatis ſequitur; tamen ſpeciatim probatur Gloſſa in 1. decretal. cap poſtulationem. de poſtulatione prælat. dixerat POSTVLATIO DEPENDET EX GRATIA. Statim poſt tamen determinauerat; *dicit Papa quod per huiuſmodi poſtulationem nullum ius acquiritur poſtulato, & ideò ſine præiudicio alicuius poterat prædictam poſtulationem repellere.* Pontifex enim in illo canone de poſtulatione non concordi loquebatur: nam vnus eligentium fuerat contemptus, & ſe contemptum ac ſpretum fuerat conqueſtus, quo caſu nulla omnino erat poſtulatio: ſunt enim verba Pontificis. *Licet ergo per poſtulationem huiuſmodi nullum ius ſit alicui quæſitum, ideoque ſine præiudicio alicuius poſtulationem potuiſſemus repellere memoratam, vt tamen vobis de ſpeciali gratia conſulamus, &c.* Ex his idiotæ, quod dictum eſt de poſtulationibus non canonicis, eas tantum niti ex gratia, nec per eas ius vllum acquiri poſtulato, II.

etiam ad canonicas extẽdunt, contra omnium quotquot vnquam celebres fuerũt canonistarum vulgarem, tritamque sententiam. Ecce Panormitanus quid dicat in glossam iam iam citatam, quæ dixerat huiusmodi postulationem sola gratia niti. *Iste* (inquit Panormitanus) *textus procedit quando postulatio non est concorditer facta, vel agitur contra eam de contempto, vnde pondera litteram, ibi.* PER POSTVLATIONEM MEMORATAM, *vnde refert se textus ad illam postulationem: secus autem dicendum est quando postulatio fit propter vtilitatem seu necessitatem Ecclesiæ, & concorditer saltem à duabus partibus collegij: Nam talis postulatio non potest reijci sine iniuria postulantium & Ecclesiæ in qua facta est postulatio.* Panormitanum Syluester clarius fusiusque distinguit in hunc modum verbo postulatio. *Quæritur*, inqit *vtrum per postulationem acquiratur aliquod ius postulato, & notat Panormit. in cap. postulationem, quod quando postulatio non est concorditer facta, saltem à duabus partibus, seu agitur contra eam de aliquo contempto per eam etiam præsentatam superiori, nullum ius acquiritur postulato vel alteri: & eam potest superior sine cuiusquam præiudicio reiicere, & consequenter eam non admittendo*

iniuriam non facit, sed quando postulatio fit propter vtilitatem, reiici non potest sine iniuria postulantium & Ecclesiæ in qua facta est, & hoc casu secundum Hostiensem, vt refert supplem. acquiritur ius postulantibus, adeò vt petere possint confirmationem. ar. de elect. cùm monasterium, sed non acquiritur ius postulato, nisi fuerit postulatio præsentata: quia tunc ei ius acquiritur, &c. Imo hoc casu postulatus præfertur electo. de elect. ca. scriptum. nisi postulatus esset minus idoneus. de elect. ca. dudum. Vel dic melius tu quod etiam ea præsentata non acquiritur ius postulato, quando est inhabilis. Hæc ille. Qua eximia illius doctrina habetur postulationes factas in discordia, vel aliquo electorum iniustè contempto, vel de persona non idonea, & inhabili pendere ex mera gratia; factas autem concorditer & de persona idonea, & ad vtilitatem Ecclesiæ ius postulato conferre, imò & postulanti Ecclesiæ cum superiori fuerint præsentatæ. His duobus adde insignissima canonistarum lumina Ioannem Andream in c. cum monasterium, 1. de electione, & Hostiensem loco citato, quos Panormitanus, & Syluester referunt, Gofridum, & Diuum Antoninum. Diuus Antoninus paucis in summa verbo postulatio; *Vtrũ;*

inquit, *per postulationem aliquod ius acquiratur postulato. Respondeo secundum Ioannem Andræam super VI. postulatio si concors fuerit, vel saltem à duabus partibus facta, pendet quidem à gratia generali, tamen secundum quosdam peti potest confirmatio. extra de electione. ca. cũ monasterium, & si talem admiserit superior dicetur facere gratiam, & si non admiserit facit iniuriam: si autem non sit facta in concordia vel à duabus partibus, tunc pendet à gratia speciali, extra cap. Postulationem. & cap. Bon. memor.* Hostiensis omnium exactissimè negotiũ tractat. lib. I. de postulatione prælatorum. Cuius illæ sunt spississimę rationes. *Naso. dicit quod per postulationẽ acquiritur ius si enim non haberet ius postulatus non admitteretur ad appellandum. I. tit. cum inter. Item postulatio & electio æquiparantur, vt patet in his quæ notaui, supra §. cum postulandus.* Vbi dixerat, quia per postulationem ad electionem peruenitur, & quod tribus modis prouidetur Ecclesiis: per electionem canonicam, per postulationem concordem, & per nominationem solemnem. Item *Gofridus dixit quod postulato non acquiritur ius per quod agere possit cùm ex gratia pendeat: tamen si postulatio fiat in concordia, & de digno ex debito incumbit superiori illam admittere, quod si non*

fecerit iniuriam facit. Item, *acquiritur ius postulato, quia postulantes resilire non possunt ex quo repræsentata est.* Item, *Ego quicquid alij cantauerint, sic distinguo, si in vnum conueniunt duæ partes capituli, & postulatio fit ex causa, puta propter vrgentem necessitatem, vel euidentem vtilitatem Ecclesiæ, acquiritur ius postulantibus adeò quod, & confirmatio peti potest. ar.1.tit 1. cum monasterium, sed non acquiritur ius postulato, nisi fuerit superiori præsentata, alioqui ius acquiritur, sicut dixit Gofridus.* Item, *Multo fortius hoc locum habeat, si vnanimis, & concors sit postulatio.* Item, *si vnus eligitur, & alius postulatur, & in postulatum duæ partes conueniunt, & ex causa fit, præfertur postulatio, & vincit electionem, ergo in hoc casu fortior est quam electio.* Ioan. And. in capit. Bon. memor. in verbo gratia ait: *Ergo & ex iustitia, sed plus ibi de gratia, quia facta à minori, quam tertia parte.* Card. Zabarella in c. postulat. in notand. 1. *Postulatio*, inquit, *dependet à gratia, vel subtilius, postulatio minus debitè facta dependet à gratia, quæ verò non peccat in materia, vel forma, non dependet à mera gratia, sed habet partem iustitiæ, sed indebitè facta, vt quia peccat in materia, vel forma, non habet aliquid iustitiæ, sed dependet à mera gratia, & talis est de qua in dicto capite. & in cap.*

præced. & propterea notanter dicitur quod postulatio nullum ius tribuebat, &c. Vbi omnia exacte prosequitur Bald. in c. fin. eod. tit. num. 5. notat, quod licet postulatio antequam sit præsentata nõ tribuat potestatem postulato in Ecclesia, nec in administratione, tamen si postulato iuridicè nihil obiici potest, non debet denegari assensus. Anton. de Butrio. in dicto cap. Bonæ memor. nu. 47. dicit quod si subest causa postulationi acquiri quoddã ius debitum ex æquitate, quia gratia, & dispensatio tunc est debita, & si denegatur, dicitur postulato fieri iniuria, & in cap. fin. nu. 22. dicit quod postulatio ex gratia specialissima non necessitat superiorem, sed si subest causa, necessitat. Cosmus Guymier ad pragmaticam sanct. in rubric. de election. verbo postulatio. ait disertè. *Quod postulatio dependet à gratia speciali superioris, quando non est facta in concordia, aut saltem à duabus partibus, seu agitur contra eam de contempto, sed interueniente concordia aut duabus partibus dependet à gratia generali, maximè si fiat propter necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ, nec potest reiici sine iniuria postulantium, & Ecclesiæ, in qua facta fuit postulatio.* Quicquid sit equidem, nullus omnino inter doctores reperietur, qui in eo

non omnino conueniat, si postulationes illæ concordes non admittantur, fieri iniuriam non solum postulantibus, verum etiam postulato. Glossæ profecto illud est celeberrimum dictum extra cap. Bonæ memoriæ. I. de postulatione prælatorum. GRATIA ERGO FIT POSTVLATO SI ADMITTATVR, INIVRIA SI REPELLATVR. ff. de aqua quotidiana, & æst. l. I. §. penul. & iterũ. VNDE NON SOLVM POSTVLATO, SED POSTVLANTIBVS FIT INIVRIA, SI POSTVLATVS EST IDONEVS, ET REPELLITVR. ff. qui satis. d. cog. l. si vero. quod autem addit glossa. *Hoc ideò dixit (ex gratia) quia per huiusmodi postulationem, siue gratiam ius non acquiritur postulato*, & paulo post. *Item idem superior istum potest concedere vel repellere, quia non tenetur ei facere gratiam nisi velit, quia nemo inuitus cogitur de suo facere beneficium.* Sane quidem apertissimè loquitur de postulatione de qua Pontifex in cõtextu, quæ fuerat in summa dissensione facta, & ideo ex mera gratia pendebat vt diximus. Neque enim tribus, aut quatuor versiculis interiectis, sibi glossa ipsi aduersaretur clara sunt illa in textu Pontificis verba. *Attendentes autem ex altera parte quod*

prædictus Episcopus à minori quam tertia parte fuerit postulatus, & quod Apostolica sedes postulationes huiusmodi non consueuit in tanta diuisione, ac contradictione recipere, &c. Ex quo fortissimum argumentum elicitur: omnes consentiunt iniuriam fieri postulato, si non admittatur, & postulantibus; sequitur igitur postulato, & postulantibus ius aliquod esse quæsitum, alioqui nulla illis iniuria inferretur. Vnde ibidem eadem glossa vlterius progressa cum dixisset de postulatione discordi, *& ideo quia gratia est, non compellitur prælatus concedere postulatum*; mox de postulatione concordi subiungit, *si tamen iusta causa exigit, debet compelli per superiorem prælatus, vt postulatum concedat. 1. de iure patronatus.* c. nullus. & statim post. *Item indirecte quodammodo compellitur illum concedere si est idoneus, quia tenetur ei prouidere in simili beneficio. 1. de iure patro. c. pastoralis.* Iustam porro illam causam ex dictis omnes exponunt, cum est postulatio concors facta de idoneo, idque ad maius bonum ecclesiæ: nulla enim vsquam iustior excogitari potest. Quod autem ait si superior talem postulatum non admittat posse cogi per superiorem, imo tenere ad simile beneficium postulato conferendum, facile etiam

arguit ius inesse aliquod postulato, & postulantibus: Panormitamus vero illa postrema hoc pacto temperauit in eam glossam; summum Pontificem cum nullum in terris superiorem habere possit præter Deum, à nemine posse cõpelli nisi à seipso, cum sit dominus omnium, & superior omnium, & à solo Spiritu sancto, & conscientia ad id quod æquum est possit impelli. Tamen ex eo quòd alij superiores cogi possint, vt postulationes huiusmodi admittant, apertè consequitur illis aliquid sui iuris denegare, & inferre iniuriam. Quæ vt omnia manifestissimè conuincantur vnus ille canonis textus sit instar omnium, ex quo solo ignaris suspicio emanauit postulationes sola gratia niti, is est extra in i. cap. Bonæ memoriæ. de postulatione prçlat. paulò antea allato, vbi postquam dixisset apostolicam sedem postulationes huiusmodi non consueuisse in tanta diuisione, ac contradictione recipere. Ex templo adiungit. *Cum etiam quando aliquis ab alijs vnanimiter postulatur ad admittendam postulationem eorum* NON TAM EX IVSTITIA QVAM EX GRATIA MOVEATVR. Vbi luce clarius Pontifex id generis postulationes ex iustitia admitti profitetur, ad-

dit tamen etiam admitti ex gratia. Atque hoc ipso argumento ex textu canonis repetito probat Hostiensis ius acquiri postulato in hæc verba, *Vbi dicit*, NON TAM EX IVSTITIA QVAM EX GRATIA, *non debet excludi, ergo non de iustitia sed de gratia; imo debet concludi, ergo de iustitia & gratia*, Quod postea explicat illo exemplo. *Sicut dicitur vulgariter, in hoc Cypho non est tantum de vino quantum de aqua*, quem textum ita debere intelligi, tum ex reipsa, tum etiam ex glossa, quæ inibi est satis aparet, quæ eodem in loco ponit illud axioma memorabile quod potest esse instar omnium. NOTA ITEM QVOD POSTVLATIO ET IVRI, ET GRATIAE INNITITVR.

III. Tertiū enim id erat quod propositum fuerat explicandū; in postulationib. etiam canonicis semper aliquam gratiā inesse, tamen ad illam gratiam faciendam teneri Pontificem, pro quo illa est glossa insignis in sexto. cap. cupientes, de electione, & electi potestate, vbi habetur in textu, *postulationes non minus dependere intelligantur à gratia, quam antea dependebant*, vbi glossa verbo gratia. *Gratia scilicet illa generali de qua dicitur supra de rescriptis. cap. sedes. & cap. nonnulli. &*

ca. vlt. & de torneamentis.ca. 2. & hoc si postulatio concors fuit vel saltem à duabus partibus facta, in quo casu secundum quosdam potest peti confirmatio. supra cum monasterium, & si talem admiserit superior dicetur facere gratiam, & si non admiserit facit iniuriam. Si autem non sit facta in concordia vel à duabus partibus, & ex causa, dependet ex gratia speciali. Cùm vero aiunt Doctores (potest peti confirmatio) intelligunt æquipollere electioni, cuius confirmatio petitur, vt postulationis non concordis petitur gratia. Accedat Panormitanus in 1.cap. postulationem.de postulatione prælat. *Nota ibi (de speciali gratia;) quod postulationis admissio pendet à gratia; sed intellige, modo prædicto, quando postulatio non est facta in concordia: tunc enim interueniente concordia dependet à gratia non speciali, sed generali, vt notaui in ca. cupientes.* Quippe in ea glossa quam proximè attulimus. Idem habet D. Antoninus, loco quem ante citauimus; idem Ioannes Andreas, idem cæteri, quos fastidiosè congerere nihil est necesse. Quod autem adiunximus, etsi gratia sit ad illam exhibendam superiorem teneri, eleganter sane Panormit. in cap. Bonæ memoriæ. 1. de postulatione prælato. in eam glossam antea allatam, iniuriam fieri postu-

lato,& postulantibus, si postulatio non admittitur; *Nam gratia quandoque est debita, vt subest iusta causa illam faciendi,* inquit panormit. & citat exquisitam admodum glossam apud Gratianum in 2. causa 1. quæst. 7. cap. exigunt causę, vbi pulcherrimè explicatur, quid sit gratia generalis. *Cum ergo*, inquit, *hic sit rigor, & ibi misericordia, potius debet iudex sequi misericordiam, quam rigorem, & sic iam videtur quod dispensatio sit debita, quia præceptum misericordiæ omnibus est commune, & sententia quæ misericordiam vetat est fugienda, & concedo quod quandoque sit debita, & iudex peccaret si non dispensaret, non tamen est perditum ius per quod petatur dispensatio sicut eleemosynam dare tenemur pauperi, pauper tamen nullo iure petit: tamen ad petendam dispensationem potest implorari officium iudicis.* Pulchro eleemosynæ exemplo demonstrat aliquam gratiam esse quæ debetur, & quæ recusari sine iniuria nō potest, cum subest, iusta & legitima causa, vnde cōcludit cogi posse superiorem per iudicem ad illam gratiam faciendam, si iudici alicui illum subesse contigerit. Hostiensis loco citato eadem iisdem penè verbis inculcat. *Sic dispensatio*, inquit, *ex gratia petitur, & tamen ad ipsam ex causa concedendā superior tenetur 2.*

c.Domino sancto.2.ca. si quis diaconus, sicut & pauperi eleemosynam petenti non datur actio, & tamen diues tenetur ipsam dare, iuxta illud, omni petenti te tribue. Addere possumus qui domum habet in ciuitate, si eam ob reipublicæ commodum, aut necessitatem dederit, gratiam faciet; poterit tamen compelli à republica vt gratiam faciat pro commodo, & necessitate publica. Iam igitur hoc paucis enucleandum est, quid iuris, quid gratiæ postulatio complectatur, loquimur autem de postulatione concordi, & de idoneo, & facta ob vtilitatem, & necessitatem Ecclesiæ: nam cum aliæ fiunt postulationes non concordes vel de non idoneo, videlicet de puero, de spurio, de irregulari, vel nulla euidenti vtilitate Ecclesiæ, omnes mera gratia innituntur. In aliis vero, quas verè canonicas apellamus, tria sunt iuris, vnum gratiæ. 1. totum ius quod electores habebant in illum cõtulerunt, quod bifariam probatur: primo quia ex iure, tum postulantes, tum postulati debent expensas facere ex reditibus postulato reseruatis, quod indicium est iam in beneficium ius aliquod esse vtrisque quæsitum; verba sunt cõcepta in canone cupientes. in sext. 1. de electione, *quod postulati huiusmodi exhi-*

bere expensas aliquibus non teneantur, sed postulantes ipsi concorditer, vel discorditer expensas ipsas personis talibus subministrent: quo in loco glossa pulcherrime, *sed quid est iustum vel quid iudicat æquitas canonum? Respondeo si electio, vel postulatio factæ sunt in concordia, possunt eligentes, & postulantes expensas facere de bonis pertinentib. ad prælatũ: & si de suo fecerint recuperare possunt factas. Et hoc intellige, siue obtinet, siue non, siue dignum elegerint, siue indignum dummodo ignoranter: sufficit enim quod non fuerint in dolo.* Hæc glossa vbi longè aliter distinguit, de iis qui sunt in discordia electi, aut postulati, vt potè quibus nullum ius inest. Probatur secundo postulantes ius suum totum in postulatum huiusmodi contulisse, quia postquam postulatio præsentata est Papæ, postulantes resilire non possunt, quod argumento est illis ius suum in illum pro ea vice transtulisse: nam si ius nullum postulato acquisitum est per postulationem, ergo postulantes sunt in eodem iure, in quo ante postulationem fuerant: hoc patet ex electione; electores.n. publicato scrutinio iure suo iam spoliati censentur, cum ad eligendum de nouo resilire non possint, & hæc est doctrina omnium canonistarum; Canon ipse hoc ha-

bet ex professo. extra. in 1.cap. Bonæ memoriæ 2. de postulatione prælatorum. *Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, & præsentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes nobis frequenter illuderent*, & glossa in eum Canonem; *nota*, inquit, *postquam postulatio præsentata est superiori non possunt ab ea recedere postulantes nec mutare consensum, sicut nec post electionem.* Panormitanus ita in eundem. cap. Bonæ memoriæ rem liquido exponit. *Postquam postulatio est præsentata summo Pontifici, non possunt postulantes ab ea recedere, & alium eligere vel postulare, sed debent postulantes exspectare iudicium Papæ super admittendo, vel improbando illam postulationem. Et ex hoc infertur à contrario sensu, quod antequam postulatio sit præsentata superiori, possunt postulantes variare inuito postulato, & ex hoc habes vnam differentiam quoad facultatem variandi inter postulationem & electionem; nam in electione non admittitur variatio post publicationem scrutinij, vt in c. publicato. 1. de elect. Sed in postulatione admittitur variatio quantumcunque sit publicatum scrutinium, & postulatio inde sit sequuta; satis enim est vt non sit superiori præsentata*, & statim rationem reddit eius rei; *quia videlicet postulato nullum ius est quæsitum,*

nisi postquam fuerit superiori postulatio præsentata, vti supra fusè ostensum est; vnde addit Panormitanus, *& ex hoc textu collige vnam regulam, quod quis potest variare sæpe antequam ius sit alteri quæsitum, secus si ius est quæsitum alteri vt in d. Clement.* Idem autem glossa proximè citata ibidem in hæc verba dixerat, postquam dixisset non posse postulationem variari, postquam fuerit præsentata. *Et nota,* inquit, *quod differentia iuris permittit variare, vbi non est ius alteri acquisitum vt hic, &* 1. *de elect. quod sicut, si vero ius est alteri acquisitum licet diffidant, variare non possunt in eius præiudicium.* 1. *de elect. Cui inter canonicos, quia nemo potest mutare consilium suum in alterius præiudicium.* ff. de regulis iuris. Hoc autem adeò verum est, vt in eodem canone Pontifex decernat, si postulantes post præsentatam postulationem variassent, & prior postulatio irrita iudicaretur, ius prouidendi ad summum Pontificem esse deuolutum. *Intelleximus itaque quod etsi neutra esset postulatio approbanda, iuxta tenorem tamen posterioris rescripti ad nos de cætero Strigoniensis Ecclesiæ prouisio pertineret.* Hoc vero nostri aduersarij, qui postulationem nostram hactenus iniquissimis, atque inauditis artibus interturbare conati sunt bene olfecerant:

olfecerant; Cùm enim ius postulationis totum ad nostrum postulatum pertinere intelligerent, seque eligi, aut postulari vnquam posse diffiderent, atque ideò nihil sibi nisi iure deuoluti sperandum esse, miris atque incredibilibus machinis conati sunt nos ad nouam electionem inducere tum per seipsos, tum per varias aliunde subdole scriptas litteras, vt eo modo ius nostrum ad summum Pontificem deuolueretur. Verum nos fraudem facile deprehendimus, & semper adeò à noua electione alieni fuimus, erimusque deinceps, vt nulla ad id machinatione impelli possimus: atque etiam si aliquo malo fato adducti ad postulationem variandam fuissemus inducti, tamen id nihil illis profuisset, cùm postulatio nostra sit omnium quæ fieri possunt, perfectissima, atque ideò vti modo ex glossa vidimus, omnesque canonistæ ad vnum consentiunt, nihil in postulati nostri præiudicium facere possimus, cùm totum ius nostrum sit iam illi quæsitum. Ex his ergo sequitur, quod postulantes post præsentationem variare non possint, ius quod habebant eligendi in postulatum transtulisse, & hæc erat potentissima ratio, quam Hostiensis vno verbo

perſtrinxerat, loco citato, vbi dicebat. *Item acquiritur ius poſtulato, quia poſtulantes reſilire non poſſunt, ex quo repræſentata eſt, vt dictum eſt.* Eadem enim omnia quæ modo oſtendimus non poſſe poſtulationem præſentatam variari, Hoſtienſis lucidiſſimè tractat ibidem. Diuus Antoninus citatus, & alij omnes nemine excepto, vt ſit mirum iſtos homines adeò iuris ignaros fuiſſe vt nos poſtulationem variare poſſe conſiderent. Atque hoc eſt primum iuris in poſtulatũ quod dicimus eſſe, quaſi ius canonicum, quòd quibus conceſſum eſt ius eligendi, conceſſum eſt etiam poſtulandi. 2. Ineſt illis etiam ius naturale: nam qui habeant ius eligendi, ſi ex ſuo gremio dignum eligi poſſe diffidant, quid magis naturale, atque rationi conſentaneum, quam vt aliunde ſibi dignum poſtulent? Hæc enim potiſſima eſſe poteſt cauſa poſtulationum canonicarum. Cui autem poſſit venire in mentem non iniquiſsimum eſſe eos qui ius habeant eligendi, ſi non habeant dignum in gremio, aut cogi vt indignum eligant, aut ſi ſibi vt conſulant, poſtulauerint, ſuo eligendi iure nulla ſua culpa priuentur? Certè præterquam neceſsitas non habet legem, ſi quam legem habere po-

teſt, eam habebit. CVI BONO, vt quiſque ſuo iure quam optima ratione fieri poterit, prudenter vtatur. Præterea id noſtrum eſt proprium, vt ius etiam concordati habeamus, quod cùm ſit contractus vtrinque conceptus eo ſe ita voluit ſancta ſedes Apoſtolica obligari, vt niſi in Concilio generali infringi voluerit: ea ſunt enim verba conceptiſsima concordati. *Duretque hæc obſeruantia deinceps, niſi eam in futuro conſilio de ipſius nationis conſenſu contingat immutari.* Poſtremo iure etiã indulti præter ius commune gaudemus, vt dicemus poſtea, quo certa promiſsio continetur: atqui omne promiſſum cadit in debitum, l. 1. ff. de pactis. adeò autem eſt naturæ inſitum ſtare promiſsis, vt fides etiam ſit infideli, atque inimico ſeruanda. Can. noli exiſtimare, 23. q. 1. & cap. Innoc. 22. q. 4. Imò Deus ipſe omnipotentiſsimus ex promiſſo nobis beatitudinem ex iuſtitia dare tenetur. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Pſal. 88. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum*, & talia ſexcenta: quare & promiſsis tenebitur ſummus Pontifex, quia ita voluit, alioqui nemo poſſet vnquam cum ſancta ſede contrahere. 3. Ius poſtulato etiam ineſt diuinum; poni-

mus ſi quidem poſtulationem canonicam factam ex cauſa, quippe ad maiorem vtilitatem Eccleſiæ: nemo autem videt ſummum Pontificem teneri ad maiorem vtilitatem Eccleſiæ, præſertim vero cum adeò euidentem neceſsitatem incurrerit, vt ſi ſecus ſua ſanctitas prouiderit ingentiſsimum patiatur Eccleſia poſtulans detrimẽtum, tum quoad res temporales, tum quoad ſpirituales. Quanto autem magis, ſi præter Eccleſiæ poſtulantis commodum ingens etiam fidei Catholicæ emolumentum conſequatur? Imò ſi talem poſtulationem res Chriſtiana vehementer expoſcat. Sic diuum Paulum Apoſtolum non ex diſcipulorum gremio delectum, ſed ex Iudæis poſtulatum, ſic beatos Barnabam & Lucam à beato Apoſtolo imò & D. Mathiam à cæteris Apoſtolis poſtulatos legimus, vt diuum Ambroſium adhuc Cathecumenum, & quotquot ferè naſcente Eccleſia Epiſcopi hinc inde poſtulabantur omittamus, vt nemo neſciat ab Eccleſia Chriſtiana oriente poſtulationes ipſis electionibus infinitis partibus frequentiores, vtilioreſque, nec ſolum, quod per ſe notiſſimum eſt antiquiores eſſe. Confidimus autem, & hoc aſſerimus magna fiducia ve-

ritatis, suam sanctitatem, si inquirere exactè voluerit, comperturam, nos cùm Dominum Valladerium postulauimus, neminem ex toto concionatorum, & celeberrimorum hominum numero in vniuersa Gallia nos postulare potuisse, neq. maiori nostrum omnium consensione, atque concordia, neque digniorem pietate atque doctrina, neque vtiliorem afflictissimæ nostræ familiæ, neque magis vniuersæ ciuitati, imò toti ditioni Metensi hæresibus coinquinatissimæ, ac penè perditæ necessarium: quæ omnia exactius posteà explicabuntur. Iam quod diximus esse gratiæ generalis in postulatione etiam canonica, atque concordi, ea gratia est duplicis generis, vnum quod est postulationis proprium, alterum quod est postulationi cum electione commune. 1. Gratia postulationis propria est, quod ille qui postulatur defectum habet, propter quem eligi non potest: quare suppleri debet à summo Pontifice: hoc autem Hostiensis exponit allata postulationis definitione in 1. de postulatione prælatorum, vbi totum hoc de postulationibus argumentum tractat exactissimè. *Quid sit postulatio. est alicuius personæ, quæ eligi prohibetur, non propter vitium*

ſed propter defectum, qui tamen poſtulatum non omnino inhabilem reddit ad prouidendum Eccleſiæ concors, & certa capituli facta petitio. Igitur quanto defectus plures erunt, aut maiores, eo maior inerit gratia poſtulationi: ſæpe enim multi ſimul defectus concurrunt. v. g. defectus in ætate; vt ſi puer poſtuletur ad Abbatiam, aut ad Epiſcopatum: defectus in capacitate vt doctrinæ expers, defectus in natalib. vt ſpurius; defectus in ordinib. vt non Clericus; defectus in habitu, vt regularis ab irregularibus & contra: defectus in diœceſi, vt Clericus alienæ diœceſeos: defectus in conſenſu, veluti Abbas ad alteram Abbatiam, Epiſcopus ad alterum Epiſcopatum eligi non poſſunt, poſtulari poſſunt: ſunt enim iam adſtricti, & quaſi deſponſati alteri Eccleſię, ita vt ſinę cōſenſu ſummi Pontificis etiam ipſi poſtulationi conſentire non poſſint. Quare etiam Canoniſtæ conſentiunt Cardinalem non poſſe eligi Abbatem, aut Epiſcopum, quia iam Cardinalis Eccleſiæ Romanæ, atque catholicæ eſt alligatus. Ita diſertiſſimè Panormitanus cap. bonæ memoriæ.1.& Hoſtienſis, & D. Antoninus, Syluester & cæteri. Ex quibus apparet minimum defectum omnium, qui eſſe poſ-

ſunt, eſſe in noſtro poſtulato : nam eſt annorum circiter duorum, & quadraginta; eſt Doctor Theologus, linguarum peritia, omni doctrina, & concionandi exquiſito talento inter omnes regni concionatores celebris, & primi nominis. Eſt ex honeſta familia de legitimo matrimonio procreatus : eſt ſacris ordinibus iam à multis annis initiatus : eſt diœceſis Metenſis generalis Vicarius, & Cathedralis Eccleſiæ canonicus, nulli prælaturæ deuinctus, vnde tantum ſupereſt vnus ille defectus, omnium qui eſſe poſſunt minimus, quod ad Abbatiam regularem, cum ſit canonicus, poſtulatur, non ad commendam, qui maximus eſſet ſanè defectus, ſed ad regularem habitum ſuſcipiendum, quam ad rem fuit à nobis dum poſtularetur ſummis & ardentiſſimis precibus perſuaſus. Eo igitur ſolum gratia indiget ſum. Pōtif. quantū ad poſtulationem attinet, vt ad religioſum habitū admittatur, idque ob præſentiſſimam ac certiſſimam vtilitatem, tum noſtræ deſolatæ familiæ, tum vniuerſæ Metenſis Eccleſiæ. Altera gratia quam dixinus eſſe poſtulationi cum electione communem eſt ea, quæ ex plenitudine pontificiæ poteſtatis petitur. Quod in hunc modum

bere expensas aliquibus non teneantur, sed postulantes ipsi concorditer, vel discorditer expensas ipsas personis talibus subministrent: quo in loco glossa pulcherrime, *sed quid est iustum vel quid iudicat æquitas canonum? Respondeo si electio, vel postulatio factæ sunt in concordia, possunt eligentes, & postulantes expensas facere de bonis pertinentib. ad prælatũ: & si de suo fecerint recuperare possunt factas. Et hoc intellige, siue obtinet, siue non, siue dignum elegerint, siue indignum dummodo ignoranter: sufficit enim quod non fuerint in dolo.* Hæc glossa vbi longè aliter distinguit, de iis qui sunt in discordia electi, aut postulati, vt potè quibus nullum ius inest. Probatur secundo postulantes ius suum totum in postulatum huiusmodi contulisse, quia postquam postulatio præsentata est Papæ, postulantes resilire non possunt, quod argumento est illis ius suum in illum pro ea vice transtulisse: nam si ius nullum postulato acquisitum est per postulationem, ergo postulantes sunt in eodem iure, in quo ante postulationem fuerant: hoc patet ex electione; electores.n. publicato scrutinio iure suo iam spoliati censentur, cum ad eligendum de nouo resilire non possint, & hæc est doctrina omnium canonistarum; Canon ipse hoc ha-

bet ex professo. extra. in 1.cap. Bonæ memoriæ 2. de postulatione prælatorum. *Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, & præsentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes nobis frequenter illuderent*, & glossa in eum Canonem; *nota*, inquit, *postquam postulatio præsentata est superiori non possunt ab ea recedere postulantes nec mutare consensum, sicut nec post electionem.* Panormitanus ita in eundem. cap. Bonæ memoriæ rem liquido exponit. *Postquam postulatio est præsentata summo Pontifici, non possunt postulantes ab ea recedere, & alium eligere vel postulare, sed debent postulantes exspectare iudicium Papæ super admittendo, vel improbando illam postulationem. Et ex hoc infertur à contrario sensu, quod antequam postulatio sit præsentata superiori, possunt postulantes variare inuito postulato, & ex hoc habes vnam differentiam quoad facultatem variandi inter postulationem & electionem; nam in electione non admittitur variatio post publicationem scrutinij, vt in c. publicato. 1. de elect. Sed in postulatione admittitur variatio quantumcunque sit publicatum scrutinium, & postulatio inde sit sequuta; satis enim est vt non sit superiori præsentata*, & statim rationem reddit eius rei; *quia videlicet postulato nullum ius est quæsitum*,

nisi postquam fuerit superiori postulatio præsentata, vti supra fusè ostensum est; vnde addit Panormitanus, *& ex hoc textu collige vnam regulam, quod quis potest variare sæpe antequam ius sit alteri quæsitum, secus si ius est quæsitum alteri vt in d. Clement.* Idem autem glossa proximè citata ibidem in hæc verba dixerat, postquam dixisset non posse postulationem variari, postquam fuerit præsentata. *Et nota,* inquit, *quod differentia iuris permittit variare, vbi non est ius alteri acquisitum vt hic, & 1. de elect. quod sicut, si vero ius est alteri acquisitum licet diffidant, variare non possunt in eius præiudicium. 1. de elect. Cui inter canonicos, quia nemo potest mutare consilium suum in alterius præiudicium.* ff. de regulis iuris. Hoc autem adeò verum est, vt in eodem canone Pontifex decernat, si postulantes post præsentatam postulationem variassent, & prior postulatio irrita iudicaretur, ius prouidendi ad summum Pontificem esse deuolutum. *Intelleximus itaque quod etsi neutra esset postulatio approbanda, iuxta tenorem tamen posterioris rescripti ad nos de cætero Strigoniensis Ecclesiæ prouisio pertineret.* Hoc vero nostri aduersarij, qui postulationem nostram hactenus iniquissimis, atque inauditis artibus interturbare conati sunt bene olfecerant:

olfecerant; Cùm enim ius postulationis totum ad nostrum postulatum pertinere intelligerent, seque eligi, aut postulari vnquam posse diffiderent, atque ideò nihil sibi nisi iure deuoluti sperandum esse, miris atque incredibilibus machinis conati sunt nos ad nouam electionem inducere tum per seipsos, tum per varias aliunde subdole scriptas litteras, vt eo modo ius nostrum ad summum Pontificem deuolueretur. Verùm nos fraudem facile deprehendimus, & semper adeò à noua electione alieni fuimus, erimusque deinceps, vt nulla ad id machinatione impelli possimus: atque etiam si aliquo malo fato adducti ad postulationem variandam fuissemus inducti, tamen id nihil illis profuisset; cùm postulatio nostra sit omnium quæ fieri possunt, perfectissima, atque ideò vti modo ex glossa vidimus, omnesque canonistæ ad vnum consentiunt, nihil in postulati nostri præiudicium facere posimus, cùm totum ius nostrum sit iam illi quæsitum. Ex his ergo sequitur, quod postulantes post præsentationem variare non possint, ius quod habebant eligendi in postulatum transtulisse, & hæc erat potentissima ratio, quam Hostiensis vno verbo

perſtrinxerat, loco citato, vbi dicebat. *Item acquiritur ius poſtulato, quia poſtulantes reſilire non poſſunt, ex quo repræſentata eſt, vt dictum eſt.* Eadem enim omnia quæ modo oſtendimus non poſſe poſtulationem præſentatam variari, Hoſtienſis lucidiſſimè tractat ibidem. Diuus Antoninus citatus, & alij omnes nemine excepto, vt ſit mirum iſtos homines adeò iuris ignaros fuiſſe vt nos poſtulationem variare poſſe confiderent. Atque hoc eſt primum iuris in poſtulatū quod dicimus eſſe, quaſi ius canonicum, quòd quibus conceſſum eſt ius eligendi, conceſſum eſt etiam poſtulandi. 2. Ineſt illis etiam ius naturale: nam qui habeant ius eligendi, ſi ex ſuo gremio dignum eligi poſſe diffidant, quid magis naturale, atque rationi conſentaneum, quam vt aliunde ſibi dignum poſtulent? Hæc enim potiſſima eſſe poteſt cauſa poſtulationum canonicarum. Cui autem poſſit venire in mentem non iniquiſsimum eſſe eos qui ius habeant eligendi, ſi non habeant dignum in gremio, aut cogi vt indignum eligant, aut ſi ſibi vt conſulant, poſtulauerint, ſuo eligendi iure nulla ſua culpa priuentur? Certè præterquam neceſsitas non habet legem, ſi quam legem habere po-

test, eam habebit. CVI BONO, vt quisque suo iure quam optima ratione fieri poterit, prudenter vtatur. Præterea id nostrum est proprium, vt ius etiam concordati habeamus, quod cùm sit contractus vtrinque conceptus eo se ita voluit sancta sedes Apostolica obligari, vt nisi in Concilio generali infringi voluerit : ea sunt enim verba conceptissima concordati. *Duretque hæc obseruantia deinceps, nisi eam in futuro consilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.* Postremo iure etiã indulti præter ius commune gaudemus, vt dicemus postea, quo certa promissio continetur : atqui omne promissum cadit in debitum, l. 1. ff. de pactis. adeò autem est naturæ insitum stare promissis, vt fides etiam sit infideli, atque inimico seruanda. Can. noli existimare, 23. q. 1. & cap. Innoc. 22. q. 4. Imò Deus ipse omnipotentissimus ex promisso nobis beatitudinem ex iustitia dare tenetur. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Psal. 88. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum*, & talia sexcenta: quare & promissis tenebitur summus Pontifex, quia ita voluit, alioqui nemo posset vnquam cum sancta sede contrahere. 3. Ius postulato etiam inest diuinum; poni-

mus si quidem postulationem canonicam factam ex causa, quippe ad maiorem vtilitatem Ecclesiæ: nemo autem videt summum Pontificem teneri ad maiorem vtilitatem Ecclesiæ, præsertim vero cum adeò euidentem necessitatem incurrerit, vt si secus sua sanctitas prouiderit ingentissimum patiatur Ecclesia postulans detrimẽtum, tum quoad res temporales, tum quoad spirituales. Quanto autem magis, si præter Ecclesiæ postulantis commodum ingens etiam fidei Catholicæ emolumentum consequatur? Imò si talem postulationem res Christiana vehementer exposcat. Sic diuum Paulum Apostolum non ex discipulorum gremio delectum, sed ex Iudæis postulatum, sic beatos Barnabam & Lucam à beato Apostolo imò & D. Mathiam à cæteris Apostolis postulatos legimus, vt diuum Ambrosium adhuc Cathecumenum, & quotquot ferè nascente Ecclesia Episcopi hinc inde postulabantur omittamus, vt nemo nesciat ab Ecclesia Christiana oriente postulationes ipsis electionibus infinitis partibus frequentiores, vtilioresque, nec solum, quod per se notissimum est antiquiores esse. Confidimus autem, & hoc asserimus magna fiducia ve-

ritatis, suam sanctitatem, si inquirere exactè voluerit, comperturam, nos cùm Dominum Valladerium postulauimus, neminem ex toto concionatorum, & celeberrimorum hominum numero in vniuersa Gallia nos postulare potuisse, neq. maiori nostrum omnium consensione, atque concordia, neque digniorem pietate atque doctrina, neque vtiliorem afflictissimæ nostræ familiæ, neque magis vniuersæ ciuitati, imò toti ditioni Metensi hæresibus coinquinatissimæ, ac penè perditæ necessarium: quæ omnia exactius posteà explicabuntur. Iam quod diximus esse gratiæ generalis in postulatione etiam canonica, atque concordi, ea gratia est duplicis generis, vnum quod est postulationis proprium, alterum quod est postulationi cum electione commune. 1. Gratia postulationis propria est, quod ille qui postulatur defectum habet, propter quem eligi non potest: quare suppleri debet à summo Pontifice: hoc autem Hostiensis exponit allata postulationis definitione in 1. de postulatione prælatorum, vbi totum hoc de postulationibus argumentum tractat exactissimè. *Quid sit postulatio. est alicuius personæ, quæ eligi prohibetur, non propter vitium*

ſunt, eſſe in noſtro poſtulato : nam eſt annorum circiter duorum, & quadraginta; eſt Doctor Theologus, linguarum peritia, omni doctrina, & concionandi exquiſito talento inter omnes regni concionatores celebris, & primi nominis. Eſt ex honeſta familia de legitimo matrimonio procreatus : eſt ſacris ordinibus iam à multis annis initiatus : eſt diœceſis Metenſis generalis Vicarius, & Cathedralis Eccleſiæ canonicus, nulli prælaturæ deuinctus, vnde tantum ſupereſt vnus ille defectus, omnium qui eſſe poſſunt minimus, quod ad Abbatiam regularem, cum ſit canonicus, poſtulatur, non ad commendam, qui maximus eſſet ſanè defectus, ſed ad regularem habitum ſuſcipiendum, quam ad rem fuit à nobis dum poſtularetur ſummis & ardentiſſimis precibus perſuaſus. Eo igitur ſolum gratia indiget ſum. Pōtif. quantū ad poſtulationem attinet, vt ad religioſum habitū admittatur, idque ob præſentiſſimam ac certiſſimam vtilitatem, tum noſtræ deſolatæ familiæ, tum vniuerſæ Metenſis Eccleſiæ. Altera gratia quam diximus eſſe poſtulationi cum electione communem eſt ea, quæ ex plenitudine pontificiæ poteſtatis petitur. Quod in hunc modum

breuiter explicatur. Cum enim summus pōtifex sit Christi Vicarius, ex iure diuino omnium beneficiorum dominus, plenissimam dispēsationem, & administrationem omnium bonorum, quæ ad quascumque Ecclesias pertinent, est consequutus: vnde sequitur ipsum supra ius omne canonicum plenissimè eminere. Conditori enim canonum, & Vicario creatoris subiecta est omnis creatura, & plenitudo potestatis pontificiæ, se extendit ad omnes homines. cap. decreto. 2. quæst. 6. Vnde ex parte pontificis quod concordata in gratiam Germanorum admisit, vel quod variis Ecclesiis varia indulta ac priuilegia eligendi concessit, id fuit ex mera gratia, eximia liberalitate, & singulari clementia, cum absolutissimam potestatem, sibi iure diuino concessam abdicare non possit. Placet autem quę elegantissimè in hanc sententiam ab Hostiensi perscripta sunt in medium afferre. in 1. de postulatione prælatorum: vbi cum docuisset tria illa, electionem, postulationem, & nominationem solemnem æqualia esse, sibique obiecisset si summus pontifex postulationem admittat esse ex gratia, nec cuiquam facere iniuriam si non admittat, vnde sequeretur electioni non esse

æqualem, respondet; *Quod etiam intelligas, si vis ex gratia mera, & pura, & sine iustitia; quia hoc intelligitur secundum plenitudinem potestatis quam habet. 1. tit. 1. illa. & de vsu pallij ad honorem, secundum quam dicitur gratiam facere, etiamsi ius reddit, puta concedendo rescriptum, de rescriptis. quia nonnulli 2. ca. nonnulli 2. ca. sedes, vel etiam de iure confirmando electionem. 1. tit. 1. cum inter vniuersas, secundum quam sequeretur quod de sola gratia electionem canonicam confirmaret. Ergo largo modo gratia est quicquid facit, quia legibus est solutus. ff. de legibus. princeps. C. de legibus. digna vox.* Vnde aperte conuincitur summum Pontificem, siue concordata præscribat, siue iura electionum tribuat, siue electiones confirmet, illa omnia ex gratia facere. Concordata si quidem, similesque contractus certis indulsit nationibus ob duritiam cordis ipsorum, vt saltem illa benignitate allecti in officio continerentur, & hæc est illa gratia generalis qua postulationes niti Panormitanus, Hostiensis, & cæteri dicebant, qua etiam electiones nituntur. Verum dicat aliquis quomodo igitur intelligendum est Pontificem maximum ad concordata, ad indulta, ad electiones, atque ad postulationes ex iure teneri? hoc est quod præterea vno verbo

pertractandum proposuimus.4.Si quidem aduertendum est idem proportione quadam de summo pontifice, ac de Deo dici posse: Deus enim cum opera nostra remuneratur, facit ex iustitia, & tamen facit ex gratia, *Nam cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, nisi sua munera: ipse enim in fine coronabit nos sicut scriptum est, in misericordia, & miseratione. Ait D. August. ad Sixtum.* Certè si neminem saluaret, nemini iniuriã faceret, & quos saluat, saluat ex misericordia, & quod promisit, ex mera promisit gratia *Quis enim prior dedit illi, & retribuet ei?* Quia tamen promisit operibus nostris factis ex gratia mercedem beatitudinis, eam ex iustitia dare tenetur, vt verissimè dixerit Apostolus; *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex.* 2. Timo. 4. reddet enim quia merito debebatur, alioqui non esset meritum, debebatur vero ex pacto, & ex promissione diuina. Ita sancta sedes primo veluti gratiam sufficientem, & generalem fecit cum electionum, postulationum, & aliarum facultatum indulta concessit, & cum se concordatis obstrinxit; postea ipsis indultis promisit, & pactus est: vnde effe-

ctum est vt quia voluit, & quia spopondit, & quia contraxit ad illa ipsa ex iure teneatur, imo si ea recuset iniuriam faciat, vti supra ex omnium canonistarum sententia demonstrauimus. Quia igitur apertissimè in postulationibus quædam gratia continetur, canonistæ consentiunt postulatum ad summum pontificem supplicem accedere oportere, imo vix se ingerere debere, sed potius totam contentionem postulantibus relinquere : absurdum enim esset, qui gratiam petat, etsi gratia debeatur, non supplicem petere. Ecce quę habet Hostien. in hanc sententiam, postquam pér postulationem ius acquiri postulato concluserat. *Non tamen aget postulatus, ne de se nimis præsumendo se ingerere videatur.* Quæ eadem Syluester habet nihil penitus immutata. Quæ eo tendunt vt debeant postulatus. & postulantes à superiori suppliciter petere, vt postulationi pium, & benigum præbere dignetur assensum.

Patet igitur, quæ secunda ratio erat, postulationes concordatis contineri, quia electionis nomine compræhendantur.

TERTIA RATIO est, quia hactenus ab immemorabili tempore, possessione pacifica, atque continua, Clerus Metensis,

cum necesse fuit, postulationes ęque, atq. electiones celebrauit, quas postulationes, quod caput est, summi Pontifices, non ex speciali gratia, sed vi concordati Germanici admiserunt, ex quo manifesto conuincitur, ex ipsa explicatione pontificum maximorum, postulationes concordato Germanico compræhendi.

Ecce postremam postulationem Episcopi ab ipso Paulo V. in eam concordati Germanici formam admissam.

Ea fuit Illustrissimi Cardinalis Giuryaci, Anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octauo. 4. Idus Septēbris. In hæc verba. *Paulus Episcopus seruus seruorum Dei, &c. Dilecti filij capitulum dictæ Ecclesiæ Metensis, ad quos iuxta concordata inter sedem Apostolicam, & nationem Germanicam inita, sub quibus Ecclesia ipsa compræhenditur, electio personæ idoneæ per Roma. Pontif. pro tempore existentem, eidem Ecclesiæ dum vacat ad electionem huiusmodi præficiendæ pertinere dignoscitur pro futuri Episcopi Metensis electione celebranda, vocatis omnibus qui voluerant, potuerant, & debuerant electioni huiusmodi commodè interesse, die ad eligendum præfixa, vt moris est, conuenientes in vnum, te tituli sanctæ Suzannæ presbyterum Cardinalem, in Episcopum Meten-*

sem concorditer postularunt, &c. Nos igitur, &c. postulationem huiusmodi de dictorum fratrum consilio authoritate præfata admittimus, &c. Profecto eodem modo de postulatione loquitur, ac si fuisset facta electio, eamque admittit ex iure concordati, non ex gratia: id enim singulariter expressisset, vti fieri semper consueuit: defectus autem in Illustrissimo Cardinali quatuor insignes extiterunt, vti ex dictis manifestum est, quòd Cardinalis, quòd Episcopus, quòd Abbas, quòd Monachus fuerit à Canonicis postulatus. Porro ne fortuito hæc in illud diploma incurrisse dicantur, eadem totidem verbis in diplomate accessus domini Marquionis de Verneuïl, de postulatione vi concordatorum admissa, repetuntur. Neque dici potest aut summum Pontificem fuisse deceptum, aut errore lapsum, aut vi ad illa exprimenda coactum, hæc enim in illum cadere nullo modo possunt. Quare cum nihil huic adeò recenti exemplo obiici possit, non erimus nimij in aliis postulationibus aliundè sollicitè congerendis, quæ, si erit necesse, suæ sanctitati cùm volet exhibebuntur, tamen ne in Abbatiis magis, quàm in Episcopatu defuisse videantur.

In Abbatia sancti Symphoriani ordinis sancti Benedicti, *Pius quintus*, Anno domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, octauo Idus Ianuarij, postulationem à Religiosis factam de domino Baptista Praillon, quæ honestissima est, & maxime Catholica apud Metenses familia, in hanc formam, ex iure electionum admisit. *Dilecti filij Conuentus eiusdem Monasterij sancti Symphoriani, ordinis sancti Benedicti, pro futuri inibi Abbatis electione celebranda, vocatis omnibus, qui voluerunt, &c. Conuenientes in vnum, te etiam tunc Baccalaureum in vtroque iure, in ætate legitima constitutum, in eorum & dicti Monasterij, vt præfertur vacantis Abbatem, via Spiritus sancti concorditer postularunt, &c. Nos, qui hodie per nos accepto, quod tu cupiebas ob melioris vitæ frugem in dicto Monasterio, vna cum supradictis conuentu sub regulari habitu virtutum domino famulari, &c. postulationem prædictam, quam de persona tua canonicè fuisse celebratam inuenimus, de fratrum nostrorum consilio authoritate prædicta admittimus, &c.* Nihil similius nostræ postulationi, quam ista fuit, nisi quod iste Baptista longè maiorem defectum habebat, quam noster postulatus, vti enim ex diplomate apparet, iam Abbatiam tenebat Beatæ Mariæ de

Burgomedio ordinis ſancti Auguſtini, à quo ad ordinē ſancti Benedicti tranſeundū erat : nec intereſt, quod ibi concordata Germanica non nominantur:rem enim vt minimè controuerſam, claramque ſupponit. Atque hodie in media Germania in omnibus diplomatibus ex concordato cōceſſis, nulla concordati Germanici fieri ſolet mentio, vt pote in re clariſſima, quod eſt notādum ſingulariter. Reſcripſit etiam ſummus Pontifex ad Regem vti poſtulationem prædictam à ſancta ſede Apoſtolica admiſſam, vt pote caconicè celebratam Regia authoritate fulciret in hæc ipſa verba. *Chariſſimo in Chriſto filio Franciſco Francorum Regi, &c. hodie poſtulationem de perſona dilecti filij Baptiſtæ Praillon, Clerici Metenſis Bacchalarij in vtroque iure, in Abbatem ſancti Symphoriani Metenſis ordinis ſancti Benedicti, per dilectos filios illius Conuentus canonicè celebratam de fratrum noſtrorum conſilio Apoſtolica authoritate admiſimus, &c. Cum itaque fili chariſſime ſit virtutis opus Dei Miniſtros benigno fauore proſequi, &c. Datū Romæ apud ſanctum Petrum. Anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octauo Idus Iunij, Pontificatus noſtri anno primo.* Et ſupra Pauli III. qui Pium Quintum præ-

cesserat diploma vidimus, quo electionem de Desiderio Regis Abbate sancti Symphoriani factam vi concordatorum Germaniæ confirmauit, ex quo indubitatum esse liquet, cum postea hunc postularunt, eodem iure concordati postulauisse.

Atque, quod notatu dignissimum est, tum in hac Abbatia sancti Symphoriani, tum in nostra, alijsque Metensibus monasterijs inueniũtur innumeri actus authentici electionum, ante, & post concordata transacti, hac formula. *Venerabiles & religiosi viri Domini seu fratres. &c. more solito conuocati & cõgregati, &c. super electione futuri Abbatis celebranda, præfati prior & sui commonachi recognouerunt publicè, & confessi sunt, quod ipsi volentes ad huiusmodi electionem, postulationem, seu prouisionem procedere, diem & horam subscriptas, cum continuatione dierum sequentium; si, & prout opus fuerit assignauerunt, & præfixerunt, &c.* Plusquam triginta eadem forma conceptas Abbatum electiones proferre possemus, ex quibus constat totam Abbatiarum antiquitatem nullum vnquam discrimen in suo iure eligendi electionum, aut postulationum fecisse.

In Abbatia sancti Vincẽtij, cum Gerardus Abbas Abbatia cessisset, Vrbanus Pontifex

tif. maximus rescriptum huiusmodi dedit, *Postmodum autem venerabili fratri nostro Episcopo Tullensi, nostris dedimus in mandatis, vt si esset ita, cessionem tuam cum eam offerre, reciperet vice nostra, & iniungeret conuentui dicti monasterij, vt infra vnius mensis spatium post mandatum ipsius Episcopi per* ELECTIONEM CANONICAM, VEL POSTVLATIONEM CONCORDEM, *Præfato Monasterio de Abbate prouiderent*, &c. Ex quibus patet summos pontifices electiones canonicas, & postulationes concordes pro eodem iure habuisse.

Non dicimus hoc ipso tempore, quo postulatio viri insignissimi cõtrouertitur, in Abbatia Monialium in hac ciuitate ordinis sancti Benedicti, receptam fuisse coadiutricem postulatione atque cõsensu monialiũ, tota Metensi ciuitate spectante, Adolescentulam, quæ vix septemdecim annos nata, nec Religiosa, nec professa, nec ad Religiosam disciplinam hactenus instructa habetur.

In Capitulo etiam Ecclesiæ Cathedralis non defuerunt postulationes. vna contenti erimus, qua anno 1527. Franciscus Bandoche Canonicus decem tantum annos natus fuit in decanum postulatus, & à

ſancta ſede apoſtolica eodem iure concordati ſine controuerſia admiſſus, vt ex cartarijs authenticis Metenſis capituli demonſtratur.

Ad hæc omnia accedat teſtimonium vniuerſi cleri Metenſis, qui nuper occaſione noſtræ poſtulationis de præfato Domino Valladerio factæ, ad omnia obſtacula perrumpenda, vno conſenſu in eum finem congregati coram officiali Metenſi, & notarijs accitis, hanc ſolemnem atque authenticam proteſtationem ediderunt, quam ſigillo Epiſcopi, & curiæ Epiſcopalis rite obſignatam exhibemus.

Nos Anthonius Roßelleti, &c. Curiæ Epiſcopalis, & diœceſis Metenſis officialis, omnibus notum facimus, quòd hodie vigeſimo octauo Iulij anni Domini milleſimi ſexcenteſimi vndecimi coram nobis comparuerunt Domini Reuerēdi, & venerabiles prælati, & capita Cleri, & ciuitatis Metenſis nomine & cauſa totius Cleri, videlicet reuerendus ac venerabilis Dominus Iacobus Foës Decanus cathedralis Eccleſiæ, Reuerendi patres in Chriſto Dominus Ioannes Saulnerius Abbas ſancti Vincentij, Dominus Franciſcus de Villers Abbas ſancti Clementis, Dominus Andreas de Hem Abbas beatæ virginis Pontis-Theofredi, Venerabiles, Domin⁹ Annibal Guillel-

mi Canonicus, & Scholasticus Ecclesiæ Cathedralis, Dominus Richerius Vrbanus Præpositus, & Dominus Desiderius Hallot Decanus, & canonici collegiatæ Ecclesiæ sancti Saluatoris. Dominus Christophorus Fleutot præpositus collegiatæ sancti Theobaldi, Dominus Ioannes Godfrinus, & Simon Louet religiosi monasterij sancti Symphoriani Metensis, nomine reuerendi ipsorum Abbatis absentis, qui omnes requisiti à reuerendis & deuotis Dominis priore, religiosis, & toto conuentu Monasterij sancti Arnulphi, vt attestationem authenticam darent, nonne esset verum totum capitulum præfatæ Ecclesiæ cathedralis, omnes Abbatias, & cuncta monasteria ordinis sancti Benedicti in ciuitate Metensi constituta, tam virorum quàm mulierum ius habere, priuilegium, prærogatiuam, vsum, & consuetudinem, & possessionem immemorabilem secundum concordata Germaniæ, ita vt vacante Episcopatu, & monasteriis præfatum capitulum potestatem semper habuerit, & etiam præfati omnes religiosi, PER ELECTIONEM AVT POSTVLATIONEM *nouos prælatos constituendi, atque etiam, dicta vacatione adueniente administrationem, & gubernationem suscipiendi rerum omnium spiritualium, & temporalium Episcopatus, priores autem, religiosi, atq. conuentus, & moniales monasteriorũ huiusmodi ad-*

ministrationem pariter, & gubernationem tam ad spiritualia quam temporalia, atque ex suo corpore administratores constituendi ad temporalia & spiritalia eorumdem monasteriorum, & episcopatus administranda, ut postea nouo Episcopo Episcopatui, & nouo Abbate, aut Abbatissa monasteriis constituto rationem reddant eiusdem administrationis redituum, & bonorum Episcopatus, & monasteriorum, neque talis cura, aut administratio committatur, aut detur ulli œconomo, aut cuiuis personæ extra capitulum, & monasteria constitutæ: præterea an non in illo suo iure semper conseruati fuerint ab omnibus Regibus, ac nominatim ab Henrico Magno Ludouici Regis Christianißimi modo regnantis parente, fœlicis memoriæ. O M N E S *igitur supramemorati ab Ecclesiis, & monasteriis præfatis deputati, uno ore, unoque consensu dixerunt, declararunt, & affirmarunt, omnia uera & certa esse, uti supra dicta sunt, seque ita uidisse semper, & fecisse. Cuius rei præfati prior, & religiosi, atque conuentus sancti Arnulphi, cum à nobis officiali memorato authenticam testificationem, atque solemnem requisiuissent acta præsentia, illis, sub sigillo Episcopatus, nostrique officij soliti decreto concesßimus, obseruarique iussimus a publicis notariis præfatæ Episcopalis curiæ infra subscriptis, atque nobiscum præsentibus*

attestationi, à præfatis Dominis à clero deputatis factæ, vt ea præfati religiosi, atque conuentus Monasterij sancti Arnulphi, in iudicio & vbicumque necesse erit, vti possint. Datum Metis anno & die memoratis.

L.Marchal.

I. Barsaulx.

TERTIVM.

TAMETSI IVRE CONcordati Germanici postulationes minimè continerentur, non ideò ius de nostra Abbatia disponendi ad suam sanctitatem ea causa deuolui, cum nulla culpa nostra interuenerit.



Stud est quod nobis maximè mirandum venit, cùm sancta sedes Apostolica velit, volueritque hactenus, nos electionum iure gaudere, iam quia non elegerimus, sed postulauerimus, ideò ius nostrum ad suam sanctitatem esse deuolutum, eamq. in procinctu esse, vt illā alteri conferat. Enimuero, si vllum locum omnia iura canonica habere possint, si iura electionum vim vllam vnquam habuerūt, nunquam est auditum, vt qui ius habeant eligendi, si tantum postulationem, eamq.

canonicam, & concordem, & irreprehensibilem fecerint, ideò suo eligendi iure mulctari. Nihil enim hic loquimur de plenitudine pontificiæ potestatis, secundum quam Pontifex, vti supra docuimus, omnia omnino iura transcendit, sed de ordinaria tantum agimus; vti Deus multa potest absoluta potestate, videlicet omnes peccatores etiam impœnitentes, imò omnes dæmones absolutè saluare, quod tamen nunquam fecit, neque deinceps vnquã facturus est. 1. Etenim vt ad vnguẽ, breuiter tamen rẽ expediamus, omnium canonistarum sententia tribus tantum modis impediri possunt ordinariorum, idest eorum, qui ius habeant eligendi prouisiones. 1. Iure deuoluti. 2. Per reseruationẽ. 3. Per mandatum: de quibus legere est Gregorium singula accuratè tractantem in syntagm. li. 17. cap. 9. Constat verò nullum fuisse nobis mandatum, vt alium quendam postularemus, neque illa mandata Metis locum vnquam habuerunt, cùm sint concordato Germanico omnino cõtraria. Reseruatam autem non esse summo Pontifici Abbatiam per se certum est, cùm apertissimè in concordato, in beneficiis non reseruatis comprehendatur: nam extra Ro-

manam curiam, idque menſe Iunio, & per obitum vacauit. Reſtat igitur vt per deuolutionem ad ſuam ſanctitatem tranſierit. Hoc autem eſſe nulla ratione poſſe multis probatur. Quia cum deuolutio nihil ſit aliud *quàm tranſlatio poteſtatis, quæ datur in beneficia ab aliquo in alteram perſonam ex facto vel negligentia poteſtatem habentis*: Sanè deuolutio eſt pœna canonica, eaque grauiſſima ob culpam aliquam irrogata: Igitur ſi quia poſtulauimus ius noſtrum eſſet deuolutum, certè virtus puniretur; poſtulationem ſiquidem adeò perfectam atque abſolutam fecimus, vt vix vlla perfectior fieri poſsit, idque de perſona idonea, ob ſummam & præſentiſsimam vtilitatem non ſolum noſtri monaſterij, verum totius ciuitatis Metenſis, quod nemo eſt qui poſſit ambigere ſatius, & melius fuiſſe quã eligere de gremio non idoneum, ſi adeo electiones vrgeantur, vt malæ electiones optimis poſtulationibus præferantur. 2. Omnes Doctores in eo conſentiunt duabus tantum de cauſis ius poſſe deuolui. 1. Cauſa ſi electores ſciẽter indignum elegerint, poſtularint, nominarint, aut alio modo prouiderint, adeoque ſua poteſtate fuerint abuſi. c. cum in cunctis. de elect.

apud Gregor. Idque ex decreto Concilij Lateranensis. c. cum Vintoniensis. ibidem. 2. Causa quod infra præscripta tempora suo numero functi non fuerint. c. ne pro defectu Ibidem. Nam qui abutitur sibi concessa potestate dignus est qui eam amittat. l. Iudæos. de Iudęis. c. qui sine. de negot. gest. Ad hæc duo capita referuntur: quæ magis sigillatim Panormitanus enumerat in 1. cap. Gratum. ex glossa & Innocentio. Syluester verbo postulatio. Hostiensis lib. 1 de post. prælat. D. Antoninus tit. 19. de postulatione. c. 3. qui omnes consentiunt has esse causas cur eligentes sint eligendi potestate priuati. Prima petitur à persona postulata, quæ cum indigna sit postulatur, de qua Syluester in hæc verba. *Secundum Hostiensem postulari non potest in prælatum criminosus, puta, periurus, homicida, vel inobediens, sicut nec eligi. Extra. eod. cap. 1. quod Archiepiscopus intelligit de periurio per sententiam non in communi sermone, vel alias non notorio, & de inobediente contumaciter, qui non paret sententiis suorum Prælatorum. Nec Epilepticus. de elect. cum inter. nisi fortè sit liberatus iã per annũ, nec mutilatus. de cor. vitia. Exposuisti: nec bigamus vel irregularis, quia huiusmodi sunt omnino inhabiles.* Hęc Sylue-

ſter,qui deinde addit defectus qui nō impediunt poſtulationem, videlicet, ætatis, ordinum, natalium, aliæne diœceſis,non regularis ad prælaturam regularem, & ſimilia, quæ ſupra attigimus. Hæc autem omnia fere ad verbum ſumpſit ab Archiepiſcopo,id eſt,D. Antonino, quem citat, quique conſulendus eſt. D.verò Antoninus omnia ab Hoſtienſi, Hoſtienſis à Gofrido deprompſit, & conueniunt omnes criminoſum, qui poſtulari non poteſt talem eſſe debere notoriè,id eſt, per ſententiam iudicis declaratū. Panormitanus hos omnes qui ſecundum Sylueſtrum poſtulari nō poſſunt, vno vocabulo complectitur, vbi ait poſtulantes,& eligentes priuari poteſtate eligendi, cùm eligunt ineligibilem, & poſtulant impoſtulabilem,& addit ad ea quæ dicta ſunt poſtulari non poſſe, nec eligi ſi ſint excommunicati, aut ſuſpenſi, de quo eſt canon conceptiſſimus in 1. de poſtulatione prælatorum, cap. ad hæc,vbi Senonenſes ſuo eligendi iure deciderant, quia Altiſiodorenſem Epiſcopum poſtulauerant, qui interdictum non ſeruauerat, & ideo excommunicationem incurrerat. *Licet autem ex eo*, inquit Pontifex, *quod hominem, qui veſtro non conuenie-*

bat proposito postulastis , cum vos interdicti sententiam seruaretis , & ipse eam contemneret obseruare , permissa vobis facile abusi fueritis potestate , ac ideo vos ea non immerito priuare possemus , de solita tamen benignitate , &c. Quem in locum Glossa inquit. *Et ita habes hic quod qui non seruat interdictum ineligibilis est.* Et apparet ex textu pœnam esse quod eligendi iure merito priuentur, vtpotè abusi potestate sibi concessa, idque ex Concilio Lateranensi, qui in eo canone citatur. Secunda causa deuoluti non à postulato, sed à postulatione desumitur. Vid. si non sit facta suo tempore: Nam maiores dignitates vt Episcopatus, Abbatiæ, &c. intra tres menses pastorem habere debent, sin minus ad summum Pontificem deuoluuntur, tum ex iure communi. c. ne pro defectu. c. postquam, tum ex Concordati Germanici verbis conceptis. Aliæ verò dignitates inferiores ex Concilio Lateranensi debent conferri intra sex menses, seu per electionem. c. cum nostris. c. dilectus. c. postulastis. de concessione prębendæ, siue per collationem. c. 2. eodem. enimverò ne diù Ecclesiæ pastore viduatæ periclitarentur ea deuoluti pœna in ordinariorum negligentiam est constituta:

cùm diuturna vacatio Ecclesiis sit periculosa. ca. quam periculosum. de elect. Itaque apertè glossa in 6. de rescriptis. ca. duobus: & de electione. ca. quamquam. ibidem, in pœnam negligentiæ ius deuolutionis inuectum esse testatur, & notanda est admodum glossæ doctrina in c. quamquam vbi, *Vacante,* inquit, *Ecclesia Pictauiensi &c. omnes canonici peccauerunt in materia, quia scienter indignum elegerunt, vel scienter omnes peccauerunt in forma, certum est quod in primo casu sunt priuati ipso facto potestate eligendi pro illa vice: in secundo vero casu non sunt priuati ipso facto potestate eligendi pro illa vice, sed veniunt priuandi per sententiam.* Hæc glossa, quæ cum canonis textu plane consentiunt. qui est huiusmodi. *Igitur si electores in huiusmodi Ecclesia, vel ipso iure tum eligunt scienter indignum, vel per sententiam cum formam traditam in generali consilio non obseruant eligendi potestate priuentur, &c.* Porro ex parte formæ, seu postulationis modo quando deuoluatur, hæc summa capita ita Panormitanus, loco citato perstringit. *Ex glossa Innocentius ponit hic aliquos casus, in quibus eligentes sunt priuati potestate eligendi. 1. Quando postulationem cassatam vitio personæ inuoluunt, vt ca. gratum. de postulatione prælatorum.* Hoc est cũ conuicti

postulasse scienter notoriè indignum, iterum contra Papæ sententiam, illum noua postulatione postulant, vt fecerant illo canone Senonenses de Altisiodorensi Episcopo notoriè excommunicato. 2. *Quando eligunt per abusum secularis potestatis, vt in c. quisquis. de electione.* Videlicet si quis per vim Principis secularis fuisset postulatus, postulatio irrita esset, & ius ad summum Pontificem deuolutum. 3. *Cum non eligitur infra tempus à iure præfixum. c. ne præ defectu. de electione. 4. Cum postulant post appellationem. cap. bonæ memoriæ. etsi Innocentius aliter dixit.* Atque hæ sunt omnes fere rationes, tum ex persona postulati, tum ex postulationis forma petitæ, quibus eligendi ius ad summum Pontificem deuolui potest, neque aliæ plures alibi, quod sciamus, vsquam reperientur. Iam verò nullam omnino illarum deuolutionum causam nostræ postulationi inesse, nemo est qui omni luce clarius non intelligat. 1. non modo personam indignam non postulauimus, verum adeò insignem, atque eximiam, tamque à supra memoratis criminibus alienam, vt vel totius regni Galliarum testimonio pauci tota Gallia nostro postulato digniores, paucissimi certè æquales reperiantur, quod postea

ex professo demonstrabimus. 2. nihil nos penitus ex negligentia propter formam peccasse, ita per se notum est, vt probatione nulla indigeat: nam non modo intra trimestre Canonicum, sed celerrimè ipso Abbatis defuncti die postulauimus, moxque per veredarium concitatis equis, triduo post, postulationem nostram Pontifici maximo præsentandam summa celeritate commisimus. 3. nullo non modo metu, sed ne fauore quidem leuissimo principum secularium, sola Dei gloria ob oculos proposita, postulauimus. 4. non solum nemo appellauit, sed ne leuiter quidem in contrarium vnquam sensit: vnde consequitur, etsi postulauimus nullum ius propterea esse deuolutum summo Pontifici, nostram Abbatiam alteri conferendi. Atque ne vllus omnino scrupulus relinquatur, omnia illa quæ de rationibus deuoluti iuris modo diximus in ipso concordato Germanico luculentissime in hæc pauca verba exprimuntur. *Item placet nobis, quod in Metropolitanis, & Cathedralibus etiam immediatè non subiectis Ecclesiis, & in Monasteriis immediatè subiectis sedi Apostolicæ, fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam sedem referantur, quas etiam ad tempus constitutionis felic.*

record. Nicolai Papæ III. quæ incipit Cupientes, expectabimus, & elapso dicto tempore si non præsentatæ, vel si præsentatæ minus canonicæ fuerint eas confirmabimus, nisi ex rationabili, & euidenti causa, ac de dictorum fratrum consilio, DE DIGNIORI, ET VTILIORI PERSONA *duxerimus prouidendum.* Quibus concordati verbis idiotæ ad suas næ-nias colorandas abutuntur. Nā primo hic de electionibus tantum fit mentio, quare cum aduersus nostram postulationem illa proferant, sane vel inuiti fateri coguntur, in concordato ipsas postulationes electionis nomine contineri, alioqui, cur quæ de electione dicuntur, contra postulationes detorquent, præsertim cum priuilegia sint amplianda, vt diximus, odiosa vero restringenda? & potiori iure quæ in fauorem de electionibus in concordato dicuntur, de postulationibus, quam quæ in odium accipi debeant? Ergo cum, velint, nolint, quæ hîc de VTILIORI, ET DIGNIORI PERSONA dicuntur æquè ad electiones, atque ad postulationes pertineant, sane vtiliorem, & digniorem personam à summo Pontifice subrogari posse postulationibus accipiemus, vti & electionibus. Atqui nemini vnquam in mentem venit dicere,

ſi qui ius habeant eligendi dignum elegerint, ſolere ſummum Pontificem illum abiicere, & eius loco digniorem, & vtiliorem dare: omnes ſiquidem conſentiunt ad confirmandas electiones teneri, & facere iniuriam ſi non confirmet: deinde eſt clariſſimum in iure, ſatis eſſe dignum eligere, & ſi nõ ſit digniſſimus: alioqui nulla tuta eſſet electio, nullus enim adeo dignus eligi poſſet, quin poſſet aliquis dignior inueniri. Ea ſunt enim gloſſæ verba notatu digniſſima in ca. nullus inuitis.diſt.61.*Nam melior eligi debet, Vt* 8. *quæſt.*1. *licet tamen ſufficit, ſi bonus eligatur*: extra.de elect. cum nobis.ca.cum dilecti. equidem in illo canone adeò hoc benignè ſupponit ſummus Pontifex, vt deeſſe alicui Eccleſiæ, aliquem dignum credere nolit. *Tunc autem alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de ciuitatis ipſius clero nullus dignus (quod euenire non creditur) poterit reperiri.* Præterea hactenus eſt inauditum ſummum Pontificem, ſi dignus fuerit electus, digno reiecto, digniorem electoribus immittere conſueuiſſe: ius enim non deuoluitur, niſi ſcienter fuerit electus indignus, nos vero ponimus dignum fuiſſe ſublectum: idem igitur de poſtulationibus dicendum erit. Quare illa concordati verba pe-

ba penitus ex paulo ante dictis explicata, ita erunt sine dubio capienda, vt duæ illæ deuolutionis causæ, quas exposuimus, exprimantur. Prior ratione formæ, vt si infra tres menses à Nicolao III. perscriptos non elegerint, vel electionem non canonicam, hoc est defectibus proximè memoratis adulteratam fecerint, ius ad suam sanctitatem deuoluatur; posterior, si indignum, & inutilem scienter elegerint, iure eodem deuoluto digniorem inferat, ita vt dignior vtiliorque ad indignum, & inutilem, non autem ad dignum, & vtilem referantur. Quod cogimur ita necessario ex iis quæ quotidie ipso vsu, & ex iure canonico de electionibus fieri solent intelligere. Denique etiam quamuis illa non essent, hoc magna ratione freti dicere audebimus, tametsi illa vocabula DE DIGNIORI, ET VTILIORI PERSONA ad literam, vt sonant, & summo iure caperentur, tamen nos posse ostendere, digniorem vtilioremque neminem nostræ Abbatiæ, quàm nostrum postulatum præfici posse. Primo enim nemo credo dicet, per digniorem debere intelligi magis nobilem, aut clarum, aut eminentiori dignitate præditum, alioqui Abbatia digniores iudicarentur,

qui sanguinis claritate aut alia nobilitate excellerent; etsi pueri essent & idiotæ, aut praui, & criminosi, ita autem in beneficiis loqui non solemus, & ab ineunte Ecclesia non potentiores, sed sapientiores, & capaciores, & sanctiores ad dignitates ecclesiasticas semper electi sunt: Imò hoc vnum summi Pontifices, per legatos suos de natione Germanica semper conqueruntur, quod incapaces, & indignos ad sua beneficia eligere aut postulare cõsueuerint: quæ fuit prima conquestio Illustrissimi Cardinalis Madrutij ad Germanos legati, Anno Domini 1594. in comitiis Ratisponensibus pro ecclesiastica disciplina reformanda apud Georgium Brãden. *Vbi dicebat notissimam esse ecclesiis plerisque interitus causam fuisse absurdas postulationes, & electiones personarum legitimas qualitates non habentium, secũdum præscriptum canonum.* In nullo autem canone legimus, vt quis ad Abbatias, & Episcopatus eligatur, aut Baronem, aut Comitem, aut Marquionem esse oportere. Imò nemo Christianorum est qui non ingemisceret maximam omnium calamitatem in Ecclesiam inuectam esse, si ampla beneficia potius ad nobiles, & potentes, quàm ad capaces, & idoneos de-

uoluerentur. Igitur cum dignum dicimus, capacem, & doctum, & prudentem, & vitæ probitate insignem intelligimus: eoque digniorem censemus, quo illis virtutibus magis claruerit: apparet autem per se non ideò aliquem capaciorem, doctiorem, prudentiorem, aut probiorem esse quod sit nobilissimus, etsi diademate Regio clarus, aut Imperiali potestate præditus: illa enim non à purpura neque à diademate, sed potius purpura, & diadema ab illis proficiscuntur. Quare eo sensu affirmare possumus summa veritate, neminem à nobis in hac diœcesi vniuersa postulari potuisse, eruditione, eloquentia, zelo animarum, & gloriæ Dei, obseruantia in sedem Apostolicam, & morum integritate, totiusque indolis animi candore, & sinceritate clariorem, quòd sua sanctitas si opus erit, ita sine dubio esse facile comperiet. Secundo quoad vtilitatem, ea ex nobis qui postulauimus spectari debet, non aliunde: & cum sine vlla controuersia ius eligendi habeamus, certe ius illud in nostram vtilitatē adhibere debuimus. Quadruplex autē esse potest ea vtilitas, quæ à nobis spectanda fuit. 1. vtilitas publica Catholicæ Religionis, in hac ciuitate hęresum colluuione

corruptiſſima. 2. vtilitas vt iura noſtra electionum ſarta, tecta ſeruentur. 3. vtilitas rerum ſpiritualium, & religioſæ diſciplinæ, quæ apud nos tot calamitatum iniuriis fuit hactenus non mediocriter labefactata. 4. vtilitas pro rebus Abbatiæ temporalibus, quæ vt nemo neſcit iam penè in nihilum redactæ ſunt, cum omnia penè latifundia ſint oppignerata, mobilia cuncta diſtracta, domus ruinoſæ & deperditæ. Videamus modo igitur, quam maiorem vtilitatem ad illa quatuor, ab vllo alio quàm à noſtro poſtulato expectare poſſimus. 1. fatemur quidem Epiſcopos, Patriarchas, Cardinales, vt ſecundum ſummum Pontificem reliquos omnes dignitate tranſcendunt, imò ipſis regibus æquiparantur, eſſe vniuerſali Eccleſiæ vtiliores, quàm quoſuis etiam excellentiſſimos Doctores, concionatores, aut antiſtites, cuiuſcumque ſint generis: adſiſtunt enim ſummo Pontifici in gubernatione orbis terrarum, & curam gerunt, atque vt imperator ait, vt ſubiecti quiete viuant, noctes ducunt inſomnes. qui ideò ibidem ita inquit, *Voluntarios labores appetimus, Vt quietem aliis præparemus. in authent. Vt diuinæ iuſsionis.* Quod de ſacris Antiſtitib. eo magis erit verũ quòd maiora, & grauiora

tractant negotia, quam quę attingi possint, vel ab ipsis imperatoribus. Hæc certa sunto de vtilitate vniuersæ ecclesiæ: verũ quid ad nostram propriam vtilitatem, qui electionum iure nostro, atque beneficio domestico gaudere debemus? Certè in ca. bonæ memoriæ. in I. de postulat. prælato. Rauennates non omnes, sed quidam ex capitulo Cardinalem sanctæ Praxedis postulauerant, quam postulationem summus Pontifex, vt potè non concordem recusauit, deditque hanc illis rationem: *Considerauimus verò quòd eiusdem Cardinalis præsentia vtilior sit non solum Romanæ, sed etiam Ecclesiæ generali, vnde immeritò præferentes speciali vtilitati communem, & minori maiorem prædictum Cardinalem postulationi vestræ non duximus concedendum*, vbi glossa inquit, *& ita publica vtilitas præfertur priuatæ. 7. quæst. I. scias. & ff. pro socio. l. actione, & hoc verum est cum in communi vtilitate priuata includitur, alias quilibet debet propriam vtilitatem præferre communi. art. 19. quæst. 2. duæ sunt*, inquit, *& 33. quæst. 5. si non licet.* Ex quibus efficitur Episcopum, Patriarcham, Cardinalem, aut aliũ præsulẽ addictum Romanæ aut alteri particulari Ecclesiæ, non posse vtiliter addici vni Abbatiæ, quia ex illa parte non esset per-

sona vtilior bono publico : imò cum sit vtilior, si adsistat Romano Pōtifici, aut suæ diœcesi, iam fieret minus vtilis, si vni Abbatiæ deuinciretur: si verò non addicatur nostræ Abbatiæ, sed cogatur abesse, sanè nulla ab illo in nos vtilitas redundabit : qui præferre debemus nostram priuatam vtilitatem illi communi, vt ait glossa, & gaudere aliquo nostrarum electionum beneficio. Vnde concluditur talem quempiam præsulem, neque vniuersæ Ecclesiæ, neque nostræ particulari fore vtiliorem. Nam 1. cùm ciuitas sit hæresi obruta, quomodo ad id nos adiuuabit, qui semper abesse debebit ? Imò si adesset si concionibus, & doctrinæ non vacaret, qua re hæreticos ad fidem posset adducere? 2. Si hoc eniti debemus, vt nostra priuilegia inuiolata seruentur, equidem nullum maius damnum incurrere possumus, quàm si nostra domus, quæ ius eligendi semper habuit, cuipiam Domestico Apostolico, aut etiam Cardinali deferatur: beneficia enim etiam electiua eo ipso quo tenentur ab illis, non cadunt postea in electionem, sed censentur summo Pontifici reseruata. Ecce enim regulam

Cancellariæ apud Branden. ſuper concordata. qu. 9. *In concordatis autem ſi extra curiam contingat vacare Epiſcopatum, vel monaſterium, & prælatus demortuus non fuerit Cardinalis, vel officialis curiæ, electio canonica permittitur fieri in partibus iuxta concordata.* Quam regulam Cancellariæ ſtatim poſt ita explicat. *Dixi & prælatus non fuerit Cardinalis, quia hoc caſu, niſi capitula ſibi prouideant de ſpeciali indulto non poſſunt validè eligere: quod anno ſuperiori comprobauit exemplum Ratiſponenſe: Nam mortuo ſereniſſimo Philippo Bauariæ Duce Cardinale, cùm reuerendum Capitulum elegiſſet illuſtriſſi. & reuerendiſſ. D. Sigiſmundum Frigericum Fuggerum, electio Ferrariæ in conſiſtorio fuit caſſata, ſed propter merita perſonæ quantumuis nulliter electæ, placuit ſanctiſſimo D. N. eidem de dicta Eccleſia prouidere.* Quare ſi Cardinalem aliquem, imò ſi vel camerarium Apoſtolicum, vt illum Lotharingum camerarium, qui contra nos tam multa Romæ tentauit, imò cœlum terramque permouit, Abbatem haberemus, actum eſſet de noſtro iure eligendi, quod ingentiſſimum, & irreparabile damnum, ne quidem ſemel omnium ſæculo-

rum memoria apud nos auditum , quis audeat maiorem vtilitatem noſtram appellare? dicunt futurum vt in diplomate à ſua ſanctitate caueatur , hoc pro hac vice tantum fore , noſque poſtea ad iura noſtra redituros : verùm cum hoc fieri quotidie videamus , tamen ex ſexcentis vix decem inueniuntur , vbi deinde illa clauſula locum habeat. Nam cum ex officio ad negotia totius Christiani orbis pertractanda ſint addicti vniuerſali Eccleſiæ ſæpiſſimè accidit , vt in Romana curia moriantur, quod cùm euenerit, omnia ipſorum beneficia , etiam , ex ipſo concordato Germanico , ſummo Pontifici reſeruantur. 3. Quoad diſciplinam religioſam , cum eà ratione Abbatia noſtra in commendam fuerit tradita, certè euidentiſſimum eſt Abbatem abſentem nihil in eam rem prodeſſe poſſe . imò ne etiam quidem præſentem , cùm ea commendatariis , nec ſit cura commiſſa , nec facultas conceſſa. 4. Quantum ad bona temporalia Abbatiæ , ſi ſemper abſentem talem aliquem haberemus Abbatem , quis ipſis oculis non videat præſentiſſimam ruinam nobis imminere ? noſtrumque infœlicem ſtatum non pertimeſcat, cum œconomo-

rum ſecularium exactionibus omnia ante oculos noſtros vaſtabuntur, diſtrahentur, lacerabuntur, quæ hactenus penè omnia adeo conculcata, atque ſubuerſa ſunt, vt nemo ſit Metis, qui horrendam noſtram vaſtitatem, & deſolationem non recognoſcat, & defleat? è contrario nemo erit, equidem, adeo male affectus, quin fateatur, nemo adeo cæcus quin videat ad illa quatuor quæ diximus, neminem penitus vtiliorem in hac prouincia à nobis poſtulari potuiſſe? 1. vt paucis ciuitatis Metenſis ſtatus cognoſcatur, ea præterquam eſt Argentorato & aliis Lutheranorum magnis ciuitatibus contermina, & vicina, ſanè ita ipſa hugonotorum multitudine, & potentia abundat, vt inter Eccleſias hugonotorum poſt Geneuam, & pauculas alias omnibus præferatur in Gallia, imo ipſa nihil Geneuam recognoſcat, aut ſuſpiciat. Siquidem ciuium, ſi clerum exceperis, maxima, & opulentiſſima pars eſt illa hæreſis labe infecta, reſque admodum exigua, ſi potentiam, & opes, & numerum ſpectes, plebs Catholica æſtimetur. Ad hæc in domo ciuili, & politiæ magiſtratuum pars omnino dimidia quos Tredecimviros vocant,

pars dimidia consiliariorum item vrbani consilij ad illam sectam pertinent. Scribæ ciuiles omnes, imo scriba tribunalis Regij item hæretici. Ipsi Medici, Amanuenses, qui negotia omnia pertractant, & viarum aduenarumque, & rei frumẽtariæ ædiles, imo ipsi apparitores, quin etiam vsque ad ipsos lictores, viatores, præcones, accensos omnes ex dimidia; Centuriones verò regionum vrbis plusquam ex dimidia parte hæretici. Ipse Regius procurator, ipse rerum capitalium tribunus, imò & domus vrbanæ custos, omnes farinæ eiusdem. Quoad ministros prædicantes plures hîc semper, quàm vel Geneuæ, vel in vlla alia ciuitate regni reperiuntur, quinque enim vt minimum, sexque sæpius intra ipsa vrbis mœnia, atque in loco etiã suburbano vicissim suis ordinibus, ter singulis hebdomadis, toto anno hæresim publicè magno apparatu declamant: atque vt verbo dicã, tãta est in hac ciuitate ea ex parte calamitas, vt duo tantum hactenus præsidia obstiterint, quominus ne vllus quidem Catholicus Metis inueniretur. Primum cohortes Regiæ, arcisque munitio, imprimisque Domini Ducis d'Espernon, Paris Franciæ, Gubernatoris nostri

exquiſita prudentia,& pietas eximia. Cùm enim inter omnes Galliæ magnates nemo ſit omnium iudicio, qui maiorem zelum ad fidem Catholicam tuendam, vel maiorem induſtriam, ad Hæreticorum conatus moderandos ſemper attulerit, ſua nos dexteritate mirificè conſeruauit, conſeruatque in dies. Secundo, quia tantos, tam pios, tam Catholicos, tamque potentes gubernatores fortè non ſemper habebimus, nec ſemper habuimus, imò & hæreticos habuimus aliquando, profectò omnibus in confeſſo eſt, ſecundum Deum, quod aliquæ fidei Catholicæ reliquiæ reperiantur id clero Metenſi acceptum à poſteritate referri debere. Reſtitit enim ſemper impiis hoſtium conatibus, tum authoritate, qua pollet plurimum, tum ſuis opibus, quas largè quoties opus fuit in id negotium ſubminiſtrauit. Iam in toto clero, cùm præter Epiſcopum, qui ferè hactenus ſemper abſuit, atque vt res modo ſunt, diutiſſimè poſt illuſtriſſimum Cardinalem extinctum aberit, Decani aliquot Metenſis Eccleſiæ, & quatuor ſancti Benedicti Abbates præcipui numerentur, in quibus noſter Abbas S. Arnulphi inter primos locum obtinet; ſanè

ſi abſens Abbas nobis præponatur, & quē nunquam niſi ad reditus exigendos hîc videamus, equidem ita cleri capita ad duos, treſue redigentur, tandemque ad nihilum deueniemus, vt Metis plures Miniſtri Hæretici, quam ipſius cleri principes reperiantur. Porrò cùm etiam inſignem virum clero adiecerimus, quoque ipſi Hæretici nullum ſe tota Gallia atrociorem hoſtem habere fatentur, ſane is non modo authoritate, ſed ſumma eruditione, & qua pollet eloquētia mirabiles in fide Catholica progreſſus, omnium Catholicorum expectatione, facturus eſt: de quo ne dubitare poſſimus, ex his quæ iam de ipſo omnes videmus in dies, adducimur. Nam hiſce tribus annis, quibus Metis aſſiduè concionatur, pluſquam centum, & quinquaginta ad fidem Catholicam traduxit, & multos Hæreticis ſubringētibus (etiam pluſquam viginti hac poſtrema quadrageſima) traducit in dies, atq; in iis ex nobilitate nonnullos, vel qui inter cohortes regias hæreſi laborabant, vel errorem Metis cùm ſpiritu hauſerant: præterea ita diſputationibus, & ſumma concionum efficacitate Miniſtros profligauit, ac fregit, vt iam vix mutire audeant, clarumq; eſt, omnium ciuium teſti-

monio, multis annis neminem acrius, & potentius, & fructuosius, hæresim repressisse, quod certissimum esse sua sanctitas iuridicè, si volet, nullo negotio ex omnium ore cognoscet. Omittimus dicere cũ præfatus noster postulatus huc appulit cum Illustrissimo Domino Cardinale de Giury, Episcopo nostro sanctissimo, bon. memor. longè miserabilem fuisse Ecclesiæ Catholicæ faciem, siue ad conciones audiendas, siue ad Sacramenta frequentanda, vt modo omnino alius sit Catholicorum feruor, totaque ciuitas penitus ad pietatem commota, quod omnium, etiam aduersariorũ testimonio ita esse sua sanctitas ipsa manifesto cognoscet. Itaque nihil non hugonothi moliti sunt, vt tantum à nobis, tamque sibi molestum Abbatem postulatum à se auerterẽt. Quam ergo personam à summo Pontifice vtiliorem postulare potuimus, quàm illam cuius suauissimos fructus in dies degustamus? Certè quidem summus Pontifex, cum capitulum Tholosanum alios elegisset, Episcopum vero Conuenarum virum doctissimum postulasset, electiones reiecit, postulationem admisit, tum ea causa quam supra diximus, tum vt eius opera hæresis ab illa Prouincia extir-

paretur. Verba canonis ipſa ſunt in 1. de elect.ca.in cauſis. *Quocirca mandamus quatenus ſi perſonam Epiſcopi vtilem, & neceſſariam inueneritis ad regimen Eccleſiæ ſuæ Tholoſanæ, & idoneam tam ſcientia litterarum, quàm ſuæ conuerſationis exemplo ad hæreticorum perfidiam de Tholoſana diœceſi extirpandam, quæ ibi per negligentiam præſulum miſerabiliter, & damnabiliter pullulauit, tranſeundi ad Eccleſiam Tholoſanam propter vrgentem neceſſitatem, & eorumdem vtilitatem licentiam tribuatis.* 2. Pro noſtrarum electionũ iure equidem iam vniuerſus Clerus Metenſis, totaque poſteritas fatebitur poſtulati noſtri induſtria, & apud Regem, & Reginam gratia, optimam illũ nuper operam in aula Regia nauauiſſe, ne contra concordata Germanica, ius electionum aliquid detrimenti caperet; imo à toto conſilio ſanctiori benigniſſimè confirmaretur, quod negotium adeo arduum, ab alio ſuſcipi non potuiſſe omnes vno ore conſentiunt: vnde ſperamus omnes acerrimum ſemper iurium noſtrorum defenſorem futurum. 3. Pro diſciplina Religioſa, quæ vt nihil ſimuletur dudum Metis valde iacuit, in comperto eſt neminem concionatorem eorum, qui hodie viuunt memoria, maiores conatus adhibuiſſe, imo

ea de causa maiores offensiones,& maiora odia, quam ipse fecit inuictissimo animo subiisse,vt meliorem aliquam formam induceret : vnde nemo est, qui non confidat fore, postquam habitum nostrum susceperit, quod impensissimis precibus ab illo obtinuimus, vt magis suo exemplo, suo consilio, suaque prudentia id negotium promoueat, quam hactenus concionibus, & authoritate potuerit. 4. pro bonorum Abbatiæ recuperatione tam ardentem, tamque efficacem zelum ostendit,vt nullo modo dubitemus, si eum nobis diuina prouidentia superstitem, vel ad quadriennium concesserit, quin omnia prorsus in integrum restituātur : nam qua est frugalitate, atque modestia, iam suæ sanctitati, & Regi est protestatus, atque pollicitus se contentissimum fore nihil omnino toto triennio, aut quadriennio de Abbatiæ reditibus attingere, donec præcipua Abbatię pignora fuerint in integrum restituta;quam sponsionem isti Abbatiarum Aucupes minimè adeo liberaliter facturi essent. Cui negotio, nos ipsi ea spe freti seriò incumbere cœpimus : ex quibus omnibus fusius expositis facile efficitur.

Tametsi concordato Germanico postulationes minimè continerentur, non ideo ius nostrum esse ad summum Pontificem deuolutum.

QVARTVM.

ABBATIAM SANCTI Arnulphi preter concordata Germa*nię, etiam vi indultorum, quę à plurimis Pontificibus concessa sunt, tumque possessione immemorabili, numquam hactenus interrupta, potestatem eligendi semper habuisse.*



NOSTRAM Abbatiam, nũquam memoria omnium hominũ iure electionum caruisse, facile & sine vlla dubitatione demonstrari potest. Primo plusquam cẽtum, & quadraginta annis antequam concordata Germanica à Nicolao V. ederentur diploma exhibemus Clementis V. in concilio generali

generali Viennensi datum, idque, vt aiunt, consistorialiter obsignatum, nam ibi summus ipse Pontifex propria manu, tum omnes Cardinales qui consilio aderant, subscripserunt, vbi postquam omnia à cæteris Pontificibus concessa priuilegia confirmasset, hanc clausulam adiunxit. *Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia, præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilij sanioris secundum Deum, & beati Benedicti regulam prouiderint eligendum, &c.*

Datum Viennæ per manum Arnaldi titulo sanctæ Priscæ presbyteri Cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarij XV. Cal. Ian. Indictione decima, incarnationis Dominicæ anno millesimo trecentesimo vndecimo, Pontificatus vero Domini Clementis Papæ V. anno septimo. Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Ioannes titulo sanctorum Marcellini & Petri præsbyter Cardinalis. Ego Francisc. titulo sancti Eusebij præsbyter Cardinalis. Ego Stephanus titulo sancti Cyriaci præsbyter Cardinalis. Ego Arnaldus tituli santi Marcelli præsbyter Cardinalis. Ego Petrus Card. prænestinus me subscripsi. Ego Beregarius Episcopus Tusculanus. Ego Neap[illegible]eo

ſancti Adriani Diaconus Cardinalis. Ego Laudulfus ſancti Angeli Diaconus Cardinalis. Ego Guillelmus ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis. Ego Franciſcus ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis.

Nullum ſanè magis ſolemne, magiſque ſanctum, ac fixum diploma exhiberi poteſt: in quo quia cæterorum Pontificum confirmat priuilegia, operæ pretium erit hûc ſancti Leonis noni diuinum diploma producere, vbi quam fuerit auguſta, ac ſacroſancta Abbatia S. Arnulphi commemorat, ſimulque illam in ſanctæ Apoſtolicæ ſedis protectionem, & tutelam ſuſcipit, vt nemo ſit benè Catholicus, qui illis perlectis non ingemiſcat, & lachrymetur, cum à tam auguſta celebritate ad tam horrendam calamitatem adudctam Abbatiam adſpexerit: ſic igitur D. Leonis diploma Apoſtolicum habet, Datum anno Domini milleſimo quadrageſimo nono.

LEO EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. *Eccleſiæ in honorem beati Ioannis Euangeliſtæ, ſanctique Arnulphi Confeſſoris Chriſti, à nobis ſpecialiter dedicatæ, & per eam venerabili Varino Abbati, ſuiſq. ſucceſſoribus monachis etiam inibi Deo famulantibus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictio-*

nem. Quamuis omnium ecclesiarum curam semper gerere debeamus, illis tamen quibus diuina cooperante clementia sacræ benedictionis manum imponimus, propēsiori cura, & vigilantiori studio prospicere debemus in omnibus. Quapropter fidelium Christi, tam præsentium quàm futurorum solertiam ignorare nolumus, qualiter nos à venerabili confratre nostro Adelberone, Mettens. episcopo, ad ipsam ciuitatem solemniter inuitati, inter alia quæ ibi diuina fauente gratia ad correctionem perduximus, Monasterium sancti Arnulphi Confessoris Christi preciosissimi, rogatu præfati Abbatis VVarini in memoriam B. Ioannis Apostoli, ac prænominati sancti Arnulphi confessoris Christi, 5. Idus Octob. Christo consecrauimus. Huic igitur dignitati aliam dignitatem cupientes adijcere, priuilegium authoritatis nostræ præfatæ non negamus ecclesiæ. Voluimus itaque, & sacra primæ sedis authoritate sancimus, vt eadem Ecclesiæ, & ipsa sacrosancta Domini mensa in honorem ipsius à nobis dedicata, tale priuilegium inuiolabiliter obtineat, vt præter episcopos, & Abbates, ac septem eiusdem cœnobij sacerdotes, & tres canonicos de domo sancti Stephani, primicerium decanum, & chorepiscopum primum, ad ipsum principale altare nullus vnquam Missas celebrare præsumat, nisi & talis religiosa persona quæ po-

ſtulat cōſenſu Abbatis, aut fratrū ad illud reuerenter accedat: præcipimus etiam vt nullus Archiepiſcopus vel Epiſcopus ſuper idem altare quamdiu inuiolatum eſt, manum ſuam temere ſuperponat, vel pro quacumque occaſione ſacroſanctum redemptionis noſtræ myſterium ibi intercludere vel prohibere præſumat, ſcilicet ſi homicidium, vel tale quid ibi, quod abſit, peccatis contigerit exigentib. à Romanæ ſedis præſule, vel quib. ipſe iniunxerit diſcutiendū, ac determinandū eſſe cenſemus. Scilicet, & annale ibi mercatū, quot annis in anniuerſaria dedicationis ipſius feſtiuitate per aſſenſum dilectiſsimi filij noſtri Domini Henrici III. Regis, ſecundi vero Imperatoris, in eodem loco haberi decreuimus, & vt eadem dedicatio ibi ſemper feſtiuè celebretur ab omnibus non minori authoritate iubemus. Conſtituimus etiam ex paterna dilectione, Vvarine Abbas, tibi tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum concedimus, vt in ſacra eiuſdem dedicationis die, aliiſque præcipuis feſtiuitatibus in miſſarum celebratione ſandaliis, & dalmatica vtamini, fraternitatē veſtram commonentes, vt cum augmento huiuſmodi honoris, augeatur in vobis amor Altiſsimi. ad cumulum quoque, vel augmentum monaſticæ religionis adiicimus, vt eccleſiæ, villæ, & poſſeſsiones, quas sereniſsimi Romanæ eccleſiæ filij Reges & Imperatores, Karolus, ſcilicet Ma-

gnus, Ludouicus Pius, Arnulphus, & Zeudiboldus, Otto, Conradus, eidem loco pia deuotione contulerant, aut ab aliis Christi fidelibus tradita priuilegij sui authoritate firmauerant, vsib. Abbatis, ac fratrum inibi Deo famulantium, perpetualiter deseruiant, & ad præbendam illorũ, absque omni cõtradictione, integra semper & inconuulsa permaneant, hoc est, Mareolas, Arx, Iussiacum cum ecclesia, & decimatione, Floriacum etiam, & Flauiniacum, Nugaredum, & Vigiacum. Triginta etiam mansos cum ecclesia, & decimatione, in villa siue curia, quæ vocatur Rumeliacum, præterea vero Maureuilla & vicum Demillare, & Tiliacum, Caminetum vero & Buxeriam, quod Hildegardis Regina cum ecclesia, & decimatione, syluis, & vineis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, etiam iam factis, & in quocumque loco iuxta Saliam fluuium, insulam, bannum eiusdem curiæ sibi placuerit per villicos fratrum semper transponendis & faciendis ad præfatum sæpius contulit locum, pomeriolum etiam cum quo & per quod ecclesiastico more ipsum sæpedictum dotauimus monasterium, scilicet, & laicũ castrũ quod quædã eius Comitissa cum sylua quæ vocatur Hers, & cum omni vtilitate vel suffusa eiusdem syluæ, cum ponte etiam & piscatione circa muri fluuium ad præbendam delegauerat fratrum Biuera, & Afri-

deinde Comitissa eidem loco traditum scilicet Cōradi gloriosissimi Imperatoris authoritate firmatum, scilicet & naius quidem vicum iuxta Mozellam fluuium, à Dagoberto Rege traditum, & corroboratum, vel quidquid in inferioribus partibus in Colomensi episcopatu ad prædictum pertinet Cœnobium, hæc quidem omnia præbendæ eorumdem fratrum, hac nostra Apostolica præceptione delegamus & confirmamus in perpetuū. Præterea vero ecclesiam, immo Abbatiolam S. Fœlicis ipsi loco adiacentem, vbi primus eiusdem Metens. ecclesiæ pastor beatus Clemens corpore quiescit, quam præfatus venerabilis episcopus Adelbero à prædecessore suo quodam æque Adelberone vocato pro prædicta curia Rumeliacum nuncupatum sancto Arnulpho in Concambium datam esse narrauit, & cartis testando monstrauit. Hanc quippe Abbatiam cum domib. agris, syluis, ac vineis, & cum omnibus appenditiis suis ex authoritate beati Petri, & nostra eius indigne Vicarij, rogatu præfati Adelberonis episcopi, ac Varini Abbatis cœnobio sancti Arnulphi ea ratione firmamus quatenus præfatus Abbas, aut fratres eorumque successores sub ipsorum cura perpetualiter eam teneant, atque possideant, nullusque ibi vlterius pastoralē virgam quoquomoda suscipere, siue portare præsumat, scilicet Abbas sancti Arnulphi per suos, aliosque reli-

giosos fratres quicquid ibi ordinandum sit, semper studentes, illud, & attendentes, ut sicut ipse suique fratres in suis usibus aliquantum inde releuari desiderant, ita eundem locum assiduo sui famulatu semper venerari, & frequentare nō desistant. Hanc igitur Abbatiam cum omnibus ad eam iustè & legaliter pertinentib. insuper etiā villas ecclesias, ac possessiones quas antea prænominauimus sæpedicto S. Arnulphi cœnobio ac fratrib. ibi Deo famulātib. taliter delegamus, & confirmamus, ut nullus Imperator aut Rex, nullus Archiepiscopus, vel Episcopus, nullus Dux, nullus Comes, vel Vicecomes, sed nec aliqua persona magna, vel parua in eisdem rebus aliquam eis iniustitiam, siue violentiam inferre audeat, vel aliquem aduocatum nisi Abbas aut fratres pro qualitate temporum, vel diuersitate locorum alicubi petierint eis ponere præsumat, scilicet sicut Reges & Imperatores, episcopi etiam aliique fideles eadem bona illuc pia deuotione contulerant, ita diuersis eorum usibus salua semper, & inconuulsa permaneant. Quisquis autē sibi ad præsens timens, & in futurum præcauens, hanc sacram nostræ confirmationis paginam seruare conatur, per gratiam omnipotentis Dei, nostra semper Apostolica benedictione muniatur. Qui vero in aliquo eam violare vel temerare præsumpserit, diuini anathematis vinculo percussus beatum Pe-

trum Apostolorum Principem cum omnibus sanctis contrarium sibi sentiat, & totum id quod fecerit irritum sit, & ratum non permaneat. Scilicet Abbas ipsius loci ac fratres à serenissimis Rom. eccles. filiis Regibus, scilicet, ac Imperatoribus inde iudicium & iustitiam quærant. S I *autem in hoc minus profecerint id honoris, & hoc singulare à nobis priuilegium semper obtineant, vt sicut in eodem monasterio pro nostræ consecrationis lætantur beneficio, sic à Romana sede contra omnes aduersitates Apostolicæ defensionis perpetuo semper muniantur auxilio. Data 5. Idus Octob. per manus Vdonis sanctæ Apostolicæ sedis Cancellarij, ac Bibliothecarij, & Tullensis primicerij. Anno Domini Leonis noni Papæ primo, indictione secunda, anno quinto, Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo nono. Ebergardus Treuerorum Archiepiscopus subscripsit, &c. Hugo Crysopolitanorum Archipræsul, &c. Adelbero Metensis episcopus, &c. Eudo Leucorum episcopus, &c. Alinardus Lugdunensis ecclesiæ Primas, &c. Humbertus Cardinalis, & episcopus Syluæ candidæ, &c. Theodericus Virdunensis episcopus, &c. Ioannes Sacriscrinius, &c. Item Ioannes Archidiaconus, &c. cum plumbo more Rom. cur. impenden. sub cordula cericea.*

Manifestum igitur est Abbatiam sancti

Arnulphi, ita sanctæ apostolicæ sedis tutela gloriari, vt iam non immerito, inde suarum calamitatum leuamen aliquod non modo sperare, verum & deposcere quodam suo iure possit.

Iam ex eo nobis semper ius eligēdi fuisse conuincitur, quod ante Clementem, V. nemo possit ire inficias, quin secundum regulam sancti Benedicti id semper à nobis fuerit vsurpatum. Post Clementem vero V. idem ius electionum vsque ad Nicolaū V. cōcordati Germanici authorē, perdurasse, tum satis ex Clementis V. diplomate apparet, tum ex Martini V. testimonio, qui Nicolaum V. ita præcessit, vt inter vtrumque solus Eugenius intercesserit. Ergo Martinus in diplomate quo Simonis Abbatis nostri electionem, anno sui pontificatus secundo, 13. Kal. Iulij, ritè confirmat, sic ait. *Vos ad electionem futuri Abbatis ipsius monasterij vestri (sancti Arnulphi) procedentes, vocatis omnibus, qui potuerunt, voluerunt, & debuerunt electioni huiusmodi commode interesse, die ad eligendum præfixa, vt moris est, conuenientes in vnum, dilectum filiū Simonem Abbatem tunc Priorem claustralem dicti vestri monasterij ordinem ipsum apertè professum, & in sacerdotio constitutum, in vestrū,*

& dicti monasterij Abbatem concorditer elegistis, &c.

Ex quibus omnibus inexpugnabile argumentum efficitur etiam ante concorcordata Germaniæ, semper ex antiquissima consuetudine, & ex indultis Apostolicis ius eligendi penes nos fuisse. Ergo tametsi nulla essent Metensibus cum summo pontifice concordata Germaniæ, tamen non minus potestatem liberam eligendi haberemus.

Accedit quod est omnino memorabile, quod per concordata Franciæ inter Leonem X. & Regem inita, quibus omnes electiones, & postulationes nominatim sublatæ fuerunt, vti ex §. primo illius concordati Gallici apparet, tamen liberæ penitus electiones per idem cõcordatum, illis beneficiis sunt relictæ, quæ indulta,& priuilegia specialia Apostolica obtinuerũt. Hæc si quidem sunt ipsa concordati verba §.per præmissa.

Per præmissa tamen non intendimus in aliquo præiudicare capitulis Ecclesiarum, & conuentibus monasteriorum, & prioratuum huiusmodi priuilegia à sede Apostolica proprium eligendi prælatum obtinentibus, quominus ad electionem episcoporum, abbatum, & priorum iuxta pri-

uilegia eis concessa libere procedere possint, iuxta formam in eorum priuilegiis contentam, & si in eorum priuilegiis forma aliqua expressa non fuerit tunc formam Concilij generalis, c. quia propter. tantum seruare teneantur: dummodo de priuilegiis sibi concessis huiusmodi per litteras apostolicas, seu alias authenticas scripturas docuerint: omni alia specie probationis eis in hoc adempta.

Ergo in ipsa generali electionum tempestate, qua concordato Gallico omnes electiones, & postulationes perierunt, tanta indultis apostolicis est habita reuerentia, vt sancta hucvsque, & inuiolata permanserint, adeò vt nulla sint eius generis beneficia, in ipsis Galliæ visceribus, quæ iure electionum liberrimo non vtantur, itâque etiam nostra memoria sexcenties in electionum gratiam fuit à supremo Parisiensi Parlamento, & à Regis sanctiore consilio ex indultis Apostolicis iudicatum. Quis autem credat non magis iura electionum esse cordi summo Pontifici, quam cuilibet mortalium oportere? aut suam sanctitatem velle nos deteriori esse iure, quàm omnes toto orbe terrarũ, qui Apostolicorum indultorum beneficio pacificè vtuntur?

QVINTVM.

IVRE ELECTIONIS VI indultorum, & possessione numquam hactenus interturbata postulationes pari iure, si canonicæ atque concordes fuerint, contineri, atque vtrasque eodem iure à summo Pontifice admitti debere, tametsi nulla concordata Germanica fuissent.



IAM ante copiosè demonstrauimus, qui ius habeant eligendi habere postulandi, & per postulationem canonicam, atque concordem ius postulato esse quæsitum: vnde ne factum faciamus abundè quæ diximus, esse poterunt ad intelligendum, & si nulla vnquam concordata Germaniæ inita fuissent, tamen cum ex indultis Apostolicis, ius eligendi habeamus, vt ostensum est, nos habere etiã postulandi.

SEXTVM.

QVAMQVAM IVRE communi electionum postulationes non compræhēderentur, neque ad illas admittendas sua sanctitas teneretur, tamen, cum nulla in re peccauerimus, deuolutione nostri iuris nos puniri non posse, neque propterea ius esse de Abbatia prouidendi ad sanctitatem suam deuolutum.



IXIMVS. Conueniunt omnes. Numquam in mūdo aliter auditum. Experientia quotidiana comprobatur. Totó iure canonico continetur, ius non deuolui ad summum Pontificem nisi aliqua culpa, eamque esse acerrimam pœnam. Atqui luce clarius est, nullam esse culpam, imo meritum esse ingens, & virtutem omni gratia remunerandam po-

ſtulare virum maximè idoneum ad maius bonum Catholicæ Eccleſiæ, ad euidentiſſimum commodum, imo ad extremam pœnæ neceſſitatem calamitoſiſſimæ noſtræ domus, idque maximè cum commodè eligere non potuerimus. Ergo merito plecti non poſſumus, alioqui egregiè, & ſanctiſſimè facta, imo quæ commodè aliter fieri non poterant, plecterentur.

SEPTIMVM.

POSTVLATIONEM A nobis de tam insigni viro factam plane canonicam, atque concordem, suisque omnibus numeris absolutam, & perfectam esse, ideoque minimè reiiciendam.



OSTVLATIONIS vero tota perfectio, aut ex persona postulati, aut à postulantibus, aut ab ipsa postulationis forma desumitur.

De persona nostri postulati, quam sit idonea, iam aliqua diximus, & statim magis ex professo dicemus; in quo illud est memorabile; quod cum illa mens nobis fuit illum postulandi, nihil de ea re ipse penitus cogitauerat, multo minus nobiscum, aut per se, aut per alios egerat: nocte enim adulta Abbate

citius opinione, defuncto, nos summo mane illum cum iam illucesceret, in lectulo quiescentem adiuimus: ad nos, alio prætextu, ne consilio quidem nostro communicato, deduximus: illi mentem nostram tum primum aperuimus: ad postulationem nos accinximus: postulauimus. Omnes, omnes. consensit. res acta, maxima, quam vnquam fuit omnium consensione, sinceritate, alacritate, prudentia, religione. Nullum autem penitus in eo vnquam impedimentum reperietur, ne coniurata quidem omnium cacodæmonum nequitia, ex eorum numero, quæ ex omnium Doctorum sententia electioni, vel postulationi personæ officere posse paulo ante demonstrauimus: imo omnia cumulatissime in eo depræhendentur, quæ virum eximium omni electione, & postulatione dignissimum efficere consueuerunt, quod vel ipsa inuidia crepante, etiam eius aduersarij fateri coguntur, ne lucem negare videantur in Sole clarissimo.

Quoad nos attinet: hoc primum in vera electione, aut postulatione requiritur, vt omnes intersint, qui voluerint, qui potuerint, qui debuerint interesse: non

non fuit nobis magnum negotium, nisi vt è suis quique cellulis acciremur: omnes siquidem præsentes, nemine excepto, aderamus. Itaque omnes, vt moris semper apud nos fuit, accersiti, libenter, imo anhelanter accurrimus. Penes nos autem qui adfuimus ius eligendi, ac postulandi esse, ac fuisse abundè modo demonstrauimus. Nemo mortalium nos vel authoritate coegit, vel minis exterruit, vel precibus adduxit, vel pretio illexit, vel gratia occupauit, vel suasionibus deleniuit, vt in nostrum postulatum consentiremus: nulla, omnium mortalium memoria, postulatio magis libera, magis pura, magis germana, magis sancta, magis concors, magis incorrupta, quantum ad electorum purum, diuinumque consensum, esse potuit.

Quantum ad formam postulationis, tametsi omnes in ea multo pauciora, quā ad ipsam electionem requirant, tamen nos ea obseruauimus, quæ omnes ad vnum in germanissima electione desiderant. 1. tempus, locum, & reliquas circunstantias, quæ est forma veluti accidentaria, dispositionū instar, quæ ad formam substantialem recipiendam conferunt, vbi ea dicentur, quæ postulationem præcesserunt. 2. Super

omnia electorum consensum, quæ ipsius postulationis, veluti essentialis est forma consensu electi, aut postulati adueniente, cum reliqua sint tantum ad decorum inuecta, vbi de iis quæ in ipsa postulatione acciderunt, tractantur. 3. Quæ postulationem subsequuta sunt quam breuissime adferuntur.

Quoad tempus, hoc primum per sacros canones cauetur, ne ægrotante prælato, electores de electione, aut postulatione tractent. capit. obeuntibus. 63. distinct. Tractat Panormitanus de elect. ca. bonæ memor. post Innocent. eodem loco, remque ita definit. *Sed tu conclude breuiter post Innocent. quod tractatus deliberatorius, seu diffinitorius est omnino illicitus ante mortem prælati, non solum quando concluderent electores de certa persona eligenda, sed quando etiam ordinarentur aliqua spectantia ad electionem futuram, vt puta si eligerent locum electionis faciendæ, vel citarent absentes, hæc enim ordinatio, & similis est probibita à iure. vt hic in fin. & 79. distinct. in capit. 2. Et idem dic secundum Innocentium de omni tractatu ambitioso, conuentionali, actionali, vel conditionali, vel aliter inhonesto: sed tractatus consultorius non est prohibitus à iure, etiamsi*

aliquis dicat quod talis persona esset honesta ad talem prælaturam, & aliis persuaderet, vt ipsam eligerent, & secundum hoc debet intelligi c. si transitus. 79. dist. vbi probatur quod viuente etiam Papa potest haberi tractatus consultorius de substitutione summi pontificis. Et vide specialiter in cap. in nomine Domini. 23. dist. & quod dixi in c. licet. supra. His paucis Panormit. cuncta complectitur, quæ de hoc capite dici possunt, idem Gregorius Tholosan. tracta. de electione paulo fusius. In quo nos adeo religiosi fuimus, vt nullum omnino verbum ante mortem Abbatis cum postulato de nostra mente illum postulandi contulerimus, neque ille nobiscum, vel per se, vel per alium ea de re egerit, imo ne per somnium quidem cogitarit: nos vero pauci, quanquam de illo perfunctorie verba quædã inter nos & de ingentissimis difficultatibus habuerimus, quæ domui nostræ imminerent, nisi aliquem virum ei similem postularemus, cum statueremus inter nos neminem tanto difficultatum oneri ferendo esse: tamen adeo obiter actum est, vt nulla maiori religione fieri à nobis potuerit, nullo ne minimo quidem deliberationis apparatu. E contrario autem, qui res Flauinij camerarij Metis tractabant, mul-

ta tentarunt, ante Abbatis obitum, vt nos ad illum postulandum adigerent, multoque plura deinde miris artibus sunt conati. Sennetonus vero mature de periculo fratris admonitus Breuetum ante eius obitum contra ius, fasque; imo contra Edicta Regia impetrauit, cùm obiisse, ante obitum persuasisset, ideoque iam tum ius nostrum electionum via sæculari, & prohibita infringere voluit, sicque secundum canones ad omne beneficium se incapacem exhibuit, ac multo etiam magis cum postea, eius Breueto antiquato, nos viis admodum alienis, albo ad quæuis ab illo speranda proposito, per suos actores ad fratrem postulandum adigere voluit, aliasq. inusitatas artes omnes adhibuit: sed frustra, nulla enim authoritate vnquam adduci poterimus, vt illum vel optemus, vel admittamus Abbatem, ob innumeras, easque grauissimas rationes, quas suæ sanctitati cùm opus erit, sique ipsa volet, explicabimus. Certe qui in viuentis pastoris beneficium irrepserit, deponitur, capit. 1. de concessione præbendæ. Priuatur & sacerdotio, & omni ministerio ecclesiastico deiicitur, cap. 7. in primis. 2. qu. 1. dicitur, & fur, & latro. cap. non furem. 7. qu. 1. &

cap.1.3.5. & can. ſicut vir.& c. præſertim.7. qu.1.imo in media Gallia ipſa Breueta, omneſque reſeruationes ante prælati obitum impetratæ, veluti piacula à Parlamentis, ipſoque ſanctiori conſilio per Edicta Regia, & per ipſius regni leges repelluntur, antiquantur, exſufflantur: nam etiam in iure ciuili pactum de futura, vel de viuentis ſucceſſione reprobatur. l.fina.C. de pactis. l.pactum dotati.de collat.C.cum ſimilibus.

Ergo defuncto Abbate poſtulauimus, primo quoque tempore quo nobis tutum, & liberum fuit: quia verò Abbatis ſepulturam expectare nec tum debuimus, nec profecto vlla ratione potuimus, ſuſpecta nonnullis immerito noſtra poſtulatio exſtitit: in quo non admodum litigabimus, cùm ſit luce clarius in iure ſepulturam ex decoro tantum, non ex neceſſitate expectari debere. De quo hæc pauca Panormitan. ad verbum expreſſa ſufficient, vbi ſupra de electiõn. ca. bonæ memor. *Nota ſingulariter iſtam gloſſam, & non tradas eam obliuioni, quòd ad validitatem electionis neceſſario non requiritur quod præcedat ſepultura prælati: vnde cadauere adhuc ſuper terram manente, poteſt procedi ad electionem futuri Pontificis,*

&c. Et paulo post. *Innocentius, Compostellanus, Ioannes Andreas, & communniter doctores sequentes tenent opinionem glossæ : licet sit honestum, vt exspectetur prius sepultura prælati. vt in ca. obeuntibus. 63. dist. & in ca. postq. 50. dist. vbi glossa dicit quod à die mortis currit tempus eligendi. Et dicit Ioan. Andreas, quod melius dixisset ab hora mortis, quasi sentiat quod illa hora mortis non excluditur, imo debet computari tempus trium mensium ab illa hora mortis; quod bene notat; vnde esset absurdum dicere quod tempus non incipiat currere ab hora mortis, & quod capitulum non poßit eligere, nisi post exequias prælati; nam tempus non currit, non valenti eligere. vt in ca. quia diuersitatem. de concess. præbend. & hæc opinio mihi placet : pro qua adduco bonum textum. in ca. 3. 8. qu. 1. in fin. vbi dicitur quod post obitum quiescentis, clerici habent potestatem eligendi. Et ad c. nullus. 79. dist. dic quod loquitur de honestate. Et eodem modo potest responderi ad istum textum : hìc enim fuerunt duæ causæ cassationis: vna scilicet propter contemptum canonici, & ista fuit potißima, & finalis causa: alia quod corpus nondum fuit sepulturæ traditum, fuit impulsiua : nam honestum fuisset aliter facere : sed hoc solum non sufficeret ad cassationem electionis, vide simile in vxore, mortuo viro carnali : nam honestum est, vt non nubat ante annū*

luctus; non tamen hoc est necessarium, vt in ca. penult. & vlt. de secund. nupt. & quandoque est vtile statim post mortem; puta si canonici timent impressionem Principis: & per hoc potest concludi quòd potius valebit collatio beneficij facta rectore defuncto nondum tradito sepulturæ, cum isti Rectores proprie non dicantur contrahere matrimonium spirituale, vt not. in ca. quia propter. infra eodem. Vnde non est tantum vinculum inter eos, & Ecclesias suas sicut inter Episcopum, & Ecclesiam suam Cathedralem; Hæc panormit. qui paucis omnia est complexus. Quę ideo attulimus, quia ad ea nihil de isto genere addi potest, etsi fusius ab aliis asseruntur, vti à Gregorio Tholos. vbi supra, & passim à cæteris. Glossa vero, quam citat hæc est. loco cit. de elect. bonæ mem. 2. *Nota quòd cassatur electio, de qua est habitus tractatus ante sepulturam mortui. 79. dist. nullus 2. sed propter hoc solum non fuisset cassata, sed assumit hîc Papa quasi non causam vt causam, sed contemptus fuit causa cassationis: nã mortuo viro soluta est vxor à lege matrimonij. infra. de secund. nupt. ca. vlt. & pen.* Causa porro accelerandæ ante sepulturam electionis, seu postulationis, quam Panormitanus attulit; puta, *si canonici timent impressionem Principis*, maximè Zabarellæ probatur ad cap. quia

propter. notabili. 7. de election. & ita fuit iudicatum in causa Ecclesiæ Ylardensis in curia Romana, vt scribunt Innocent. & Hostiens. ad dictum ca. Bonæ memo. 2. Quæ sanè ratio tota pro nobis militat, omnemque litem pro nostro claro iure determinat: quemadmodum enim suæ sanctitati ex professo iam exposuimus, Abbatis defuncti sepulturam exspectare non potuimus, quia violentiam brachij secularis non modo timebamus, verum etiam iam iam imminere ipsis oculis videbamus: atque re ipsa non solum vim timuimus, sed manifestissime passi sumus: quod ne ex nobis dicere videamur, id totius cleri Metensis solemni testimonio confirmamus, ne veritatis clarissimę in nos odium refundatur. Primum hactenus sæpe magnam vim illatam aliis Abbatiis, ipsa experientia recenti memoria, vt nuperrime in Abbatia S. Symphoriani videramus: Deinde dominus gubernator aberat dominus Dux d'Espernon, qui cum sit rei Catholicæ præcipuus hoc in regno defensor, semperque priuilegiorum Metensium acerrimus patronus, & propugnator extiterit, certè sua nos prę̨sentia eo metu facile liberasset: quare vix noster postulatus postu-

latione tranſacta, domo noſtra pedem extulerat, ne ſemiquadrante quidem horulæ interiecto, cum vnus ex præcipuis Regiis Magiſtratibus Hugonothus, imo Hugonothorum facile princeps ad nos aduolat, Religioſos imperioſè cõuocat; cùm pauci conueniſſemus, alij aliò diffluxiſſent, nobis ante maius altare ſeuere imperat, ne vllam electionem, aut poſtulationem aggrediamur, donec Regi Abbatis interitus fuerit nunciatus. Reſpondemus iam tranſactum eſſe negotium, ipſum nihil habere quod iubeat; id feciſſe nos quod noſtri iuris eſſet, quod Dei gloria dictauiſſet. Interea poſtica, atria, omniaque oſtia armatis militibus obſidentur, vt conuenire inter nos deinceps ſine arbitris nullo modo poſſimus: actumque prorſus erat de noſtra poſtulatione, ſi vel dimidiolam horam diſtuliſſemus. Tertio, alià ex parte Sennetonus nec dum fratre Abbate defuncto in aulam Regiam concitatis equis accurrerat, atque Breuetum Regium ſubreptitium impetrauerat: inde claram, atque præſentem tempeſtatem ſubito coruſcare proſpeximus, nec fefellit metus: nam ſtatim poſt Abbatis obitum, ecce ex aula accurrunt, qui œconomatus vt vocant litteras,

cum illo Breueto, nomine Sennetoni deferunt, nobis Regio iussu imperãt, vt Sennetonum pro Abbate futuro, interim œconomo agnoscamus, admittamus. Omnes generosè resistimus; ipsi cum Regius procurator instaret; reclamamus, intercedimus; denique violenter inuadunt, tum brachio seculari muniti extra vrbem domos, prædia, bonaque omnia inuitis nobis, & iis quibus curæ erant, imperiosè occupant. Totius cleri Metensis interea opẽ imploramus, accurrit vniuersus, quasi ad publicum incendium: coram domino prȩside nobiscum, de vi, de insultu, & de spoliatione conceptis verbis protestatur. Nos primi eidem domino de Selue præsidi æquissimo, atque integerrimo, nostro nomine, de violentia, & de spoliatione protestati nostram oppositionem obiicimus, quã sua protestatione clerus totus exinde confirmat. Ecce ne aliquid comminisci videamur solemnem, atque authenticam cleri Metensis contra violentiam oppositionem, cuius hocce primigenium exemplar suæ sanctitati exhibemus.

Hodie decimonono Iulij, anno domini millesimo sexcentesimo vndecimo, coram nobis Amanuensib. publicis Apostolica authoritate subscri-

ptis, in hac vrbe Metensi residentib. Domini admodum Reuerendi, & venerabiles prælati, necnon capita cleri vniuersi præfatæ ciuitatis Metensis vna congregati, & conuocati cum dominis Priore, & Religiosis, atque conuentu Abbatiæ sancti Arnulphi, videlicet Reuerendus, & venerabilis dominus Iacobus Foës decanus Cathedralis Ecclesiæ Meten. necnon admodum Reuerendi in Christo patres, ac domini, D. Ioannes Saulnerius Abbas sancti Vincentij, D. Franciscus de Villers Abbas S. Clementis, Dominus Andreas de Hem. Abbas nostræ Dominæ Pontis Theofredi. Venerabiles domini Magister Antonius Rousselleti Cancellarius, D. Ioannes de Beschãps Archidiaconus, & Canonici præfatæ Cathedralis Ecclesiæ, Dominus Richerius Vrbanus præpositus Ecclesiæ collegiatæ sancti Saluatoris, D. Chrystoforus Flentot præpositus Ecclesiæ collegiatæ sancti Theobaldi. Reuerendus Dominus Ioan. de Moruille Religiosus Monasterij sancti Symphoriani, loco sui Reuerendi Abbatis absentis, nec non multi alij Religiosi, & clerici, nomine, & causa totius cleri Metensis, omnes vno consensu coram Domino Præside vrbis, & ditionis Metensis, congregati, illi præfatam oppositionem scripto, eo ipso tenore conceptam obtulimus, petiuimusque per præfatum dominũ decanum Cathedralis Ecclesiæ illis concedi, prout ipsorum opposi-

tione continetur, & petitur, Qui dominus Præses audita, dum illi ab vno ex nostris notariis publicis distinctè, & clarè legeretur, oppositione, respondit, se non posse executionem Regiarum litterarum differre quoad rem in illis expresse contentam, tamen se non obstare quominus ipsi sibi apud suam Maiestatem prouiderent intra mensem, quem illis ad id concessisset. Quo audito responso, præfatus dominus decanus Iacobus Foës, nomine cleri vniuersi de spoliatione, violentia, atque insultu protestatus est, prout in præfata oppositione continetur. Quo facto omnes præfati domini ex toto clero conuocati cum versus Abbatiam S. Arnulphi se contulissent, ibique inuenissent D. Nicolaum Maguin, & D. Georgium Foës duos ex Tredecimuiris, qui se eo missos, & à Domino præside ob corporis valetudinem domi detento deputatos dicerent, vt præfatas regias litteras executioni mandarent, vnaque cum illis Procuratorem Regium id ipsum agentem, præfatus decanus nomine totius cleri, prout supra dictũ est, illis omnia præmissa oppositione compræhẽsa postquam obiecisset, & exposuisset, illa clare & dilucide iterum per ipsum præsidis scribam tum præsentem perlecta, ipsis eadem, quæ dominus Præses responderat iterantibus, se aliud agere non posse, nisi vt regias litteras suo ipso tenore concepto executioni mandarent, non tamen

se obstare quominus sibi apud Regem postea consulerent: iis auditis præfati domini ex clero congregati per præfatum decanum in suis protestationibus de vi, de spoliatione, & de iniuria perstiterunt. Quo eodem instanti præfatus regius procurator cum religiosos sancti Arnulphi in capitulum conuenire, iussisset, responderunt omnes nolle se eam ob rem conuenire, quare ipsius procuratoris instanti rogatu, Pistrius domini præsidis apparitor omnia Abbatiæ temporalia bona inuasit, vt ab œconomo deinceps iuxta regias litteras administrarentur Sennetoni nomine, iussione ipsis DD. Priori & religiosis omnib. nomine Regis facta, ne se imposterum gubernationi, aut administrationi bonorum temporalium Abbatiæ de cætero immiscerent. Cui iussioni prædicti DD. Prior, & religiosi, totius conuentus nomine intercesserunt, ac iuxta præfatam oppositionem protestati sunt. Cuius rei actæ cum præfati domini cleri Metensis principes, vna cum DD. Priore & religiosis prædictis authenticum instrumentum à nobis notariis publicis infra scriptis exegissent, hoc tenore illis concessimus, vt eo quoties, & vbi opus erit in iure, atque extra vtantur. D. Marchal notarius. D. Thiebaud notarius.

Igitur in certo, & periculoso metu vaticinati sumus: & cum vastum familiæ

incendium instare prospiceremus,non iudicauimus consultandum diutius esse vtrũ flammas iam vitalibus visceribus nostris crepitantes effugeremus. Atque hoc illud est quod causæ fuit, ne ad nostram postulationem decantandam cymbala,aut crotala, aut bombardas adhiberemus, aut sepulti cadaueris commoditatem exspectaremus. Omnia tamen de cætero scrupulosè obseruauimus: vt enim in iis, quæ postulationem præcedunt enucleandis,nihil omittamus.

Deliberationem Abbate defuncto habuimus de cætero, vt iuris, & moris est, atque adeo mature intra trimestre canonicum Concilio Lateranensi, & concordato Germanico satisfecimus, imo vniuerso iuri canonico. c. ne pro defectu. 41. de elect. cap. postquam. 50. dist. c. obeuntibus. 63. dist.

Locum imprimis idoneum captauimus, scilicet sacrum capitulũ ad diuina altaria: iura enim Pontificia sanciũt electores omnes. *Qui velint, & debeant, & possint commode interesse*, in certum locum conuenire, nec sufficere consensum singulorum priuatim domi, aut alibi traditum, vt notant Innocentius, & alij in cap. quia prop-

ter. de elect. & habetur in cap. in Genesi. 55. de electione. Locus autem singulariter idoneus est capitulum.cap.in causis. de elect. vel in alio quopiam honesto loco, Rota decis. 288. incip. maior pars dominorum. nu. 2.in nouis.ca.qua fronte.25.de appellat.& pulchra glossa ad cap. cum terra.in cap.in nomine domini. 23.dist. capit. præceptum. 12.qu.2.Nam certè, & in prophanis Sceuola refert.li. 50.Pandect. tit.9. municipij lege ita cautũ fuisse. ἐάν τις ἔξω τοῦ συνεδρίου δικάζηται τοῦ συνεδρίου εἰργέσθω, *si quis extra synedrium iudicauerit, synedrio seu ordine priuetur.* Nos in capitulum ergo conuenimus.

Addit Concilium Basileense in §. & cum humanæ fragilitatis. de elect. in pragmat.sanction. *Conuocatione facta, antequam electionis locum ingrediantur electores, missam audiant de sancto Spiritu, cuius gratiam implorent, vt de digno pastore inspirare dignetur.* Non ait de milite, aut de aleatore, aut de comestore, sed de pastore digno. Nos in eum finem, iam clara, & radiosa die per vnum è nostris dominũ Fr. Claudium Alemannum, Missam de Spiritu sancto rite præmisimus, atque haud dubie de digno pastore postulando inspirati fuimus.

Rursus postquam electores conuenerint, debent habere tractatum antequam eligant. gloss. in cap. in nomine Domini. ad verbum tractantes. 23. dist. cap. in Genes. de election. Qui tractatus est veluti apparatus ad electionẽ, in quo si opus est, nominantur vtrinque plures, qui videantur digni electione, & fit collatio personæ ad personam, zeli ad zelum, meriti ad meritum. c. in Genesi. ca. cumana. de electione. Nos eum tractatum studiosè præuiũ simul omnes habuimus. Omnia contulimus, diem, quæ vnica, commoda esse poterat, scilicet præsentem, & solam tutam electioni indiximus, aliam nullam, quæ sine ingenti detrimento nostro indiceretur in toto calendario inuenimus. Eodem in loco, omnibus anathemate proposito, Prior claustralis monitionem acerrimam de more habuit, omnesque sincere coram Deo de suo quemque munere commonefecit. Postea tractatu exacto, hora condicta, in locum destinatum affluunt omnes, genibus flexis, hymnus Spiritui sancto decantatur: orationes solitæ præmittuntur, denique cætera omnia, quæ ex ritu fieri solent, ante electionem, à nobis fuere, omni exquisita religione, seruata.

Iam in

Iam in ipſa electione , quæ tenenda ſunt, in eligendi modo,& in ipſa electione conſiſtunt. Modi electionum tres numerantur. 1. Per ſcrutinium. 2. Per viam compromiſſi. 3. Per viam inſpirationis Spiritus ſancti. Hæc tertia potiſſima, & diuiniſſima eſt, quãdo omnes de collegio, veluti vno ore in vnum conſentiunt,eumque eligunt,aut poſtulant. cap. quia propter. de elect. in ea enim methodo vix fieri poteſt,quin Deus dominetur, qui in medio trium conſentientium ſe adfuturum pollicetur , vti à ſchiſmate , & diuiſione ſemper abeſt : nuſquam enim magis abeſſe poteſt omnis ſimoniæ, ambitionis , & corruptionis ſuſpicio, quàm cum omnes vno Spiritus ſancti inſtinctu afflati conueniunt.Hanc nos rationem, & quia tempori, quod nobis ſuſpectiſſimum erat; magis idoneam, & quia ſanctiorem in poſtulando adhibuimus; nemoque noſtrum fuit, qui non magno quodam ſenſu voluptatis, & pietatis, imo quidam cum lachrymis ex effuſo gaudio manantibus, non ſtatim, & ſine vlla hęſitatione conſenſerit. Itaque non potuit magis eſſe concors, magiſque ſolennis.

Poſt electionem petitus à poſtulato ea-

dem ipsa hora consensus fuit, id enim fieri primo quoque tempore iubetur. c. quã sit. 6. de election. in sext. Quod si electus aut postulatus sine superioris licentia consentire non possit, vtpote alteri ecclesiæ addictus, electores, atque electus facultatem à superiore, cuius id muneris est, quã maxima fieri potest celeritate, repetere debent. d. cap. quam sit. & cap. si religiosus. 2. de elect. in extrauag. communibus. videlicet ne ex diuturna mora grex pastore destitutus detrimentum capiat. Ergo illa ipsa statione postulatus, nulli alteri ecclesiæ obstrictus, tum postulationi consensit, tũ instantissimæ religiosorum petitioni, vt religiosum sancti Benedicti habitum susciperet, quod eo libentius facere se spopondit, quod non ita commendas, nisi quæ vtilissimę essent ecclesiis vnquam probauerit, ideoque sibi certum esse Abbatiam absque habitu regulari non admittere.

Præterea cum quidam, qui ad illam Abatiam inhiabant illa postulatione, de qua iam rumor Vrbanus increbruerat, vlcerati, iactare cępissent, quod, & postea variè disseminarunt, postulationẽ irritam, & vanam esse, quod ante cadauer Abbatis humatum facta fuisset, post funeris exe-

quias, cum tamen adhuc atria, atque aditus à militibus tenerentur, statim qua maxima potuimus dexteritate gliscentes in capitulum; & quasi aliud agentes ad omnem cautelam, iterato omnes postulationem ante funus exactam confirmauimus; quam cōfirmationem maiore conuentus sigillo, & nostris subscriptionibus communiuimus.

Denique quia postulatio debuit intra tres menses præsentari; tum ex concordatis Germanicis, tum ex iure canonico; postridie quam postulauimus, per veredarium; tum ipsam postulationem, tum illius confirmationem exacto funere repetitam, summo Pontifici Romam, summa diligentia, admittendam, misimus. Imo ad extremum cum solemni mendacio, tum Romæ, tum in aula Regia ad res miscendas maleuoli confinxissent, aliquos ex nostris reclamasse, quæ ingens fuit, & inusitata calumnia, tertio in capitulum omnes iterato conuenimus, post octauum à postulatione mēsem, in illo tam diuturnæ dilationis interuallo, & vno consensu, quam maxima fieri potuit solemnitate, atque quantum per sacros canones liceret, ratam ac fixam postulationem, nemine penitus;

vel leuiter dissentiente habuimus, hoc anno 1612. die 2. mensis Martij, quæque authenticè tum fuerũt acta rursus sanctitati suæ proposuimus. Imo cum iam ab initio grauissimas, quæ deinde subortæ sunt præuiderimus tempestates, concepto inter nos iureiurando, omnes vno consensu sanciuimus, vt ille ex nostro numero, qui quantum ex nostra parte esset, aliud agere, quam actum fuerat aggrederetur, grauissimis pœnis subderetur: maximè vero si vel leuiter in Sennetonum vlla ratione, aut vllo deinceps tempore consentiret, cum indubitatum haberemus, vt supra dictum est, illum id vnum in animo habere, ideoque Abbatiam tanta contentione expetiuisse, vt pignora quæ tenet, quibus duę tertiæ partes redituum Abbatiæ continentur, alienet in perpetuum, & paternæ hæreditati commisceat. Patet igitur nihil ad omnes perfectæ postulationis numeros à nobis prætermissum fuisse.

ADDIMVS tametsi quoad formam aliquam manca postulatio, imo prorsus reiecta fuisset, non ideo nos iure nostro eligendi esse priuatos, neque ea de causa personam postulati nostri respui posse: 1. Supra ca.3. ostendimus ius electionis dua-

bus tantum de causis posse deuolui; vel ratione personæ, quæ cum notoriè criminosa, & indigna esset, postulata fuerit; vel ratione formæ, cum aliquis in ipsa postulatione defectus essentialis inciderit. 2. Ibidem demonstrauimus luculentissimè cùm vitio personæ postulatio respuitur, ius ipso facto ad Pontificem deuolui, cùm vero vitio postulationis non admittitur, ius nō deuolui ipso facto, sed tantum posse per sententiam summi Pontificis deuolui, adeoque defensioni locum esse relictum postulantibus, nisi eligendi formam, in capit. quia propter. de elect. præscriptam, non seruauerint: nam tum etiam ipso facto ius deuoluitur. Nos vero eam exacte obseruauimus, cùm per viam Spiritus sancti postulauimus, vt patet in textu. 3. Iam iam apertè conuicimus nullam perfectionē nostræ postulationi deesse, adeoque nulla ex causa reiici posse. 4. iam addimus porro etsi propter formā reiecta esset, siue per sententiam, siue alio modo, ius tamen de nouo eligendi penes nos adhuc integrum esse, neque ideo postulati nostri personam respui posse, cum idem perfectiori postulatione possit de integro postulari. Sanè pro hac sententia adeo mani-

festi sunt canones omnes, adeo consentientes omnium Canonistarum sententiæ, vt non sit admodum laborandum, nisi vt ipsi nudi textus expendantur. Certè canon integer is est in 1. de electione. super eo vero. *Super eo verò quod quærere voluisti, si alicuius electione cassata, idem ad alterius Ecclesiæ regimen electus fuerit, an eius electio debeat confirmari: hoc tuam volumus discretionem tenere, quod si prior electio non vitio personæ, sed modo electionis cassatur, promotionem eius, in eadem etiam Ecclesia (nisi fortè simoniacæ prauitatis aliquid intercessisse constiterit) non debeat impedire.* Quem ad textum glossa pulcherrimè. *Nota quod cùm cassatur electio propter modum electionis, nihil imputator electo, nec in alicuius notam imfamiæ incidit, & sic poterit eligi iterum.* Vbi Doctores consentientissimè idem asserunt. Hæc Panormitani pauca sufficiãt. *Et generaliter potest dici quod qualitercumque electio retractetur, sine vitio, vel defectu electi, numquam talis cassatio habet impedire promotionem electi, &c.* Fusius autem illa pertractat, sed pluribus nihil est opus. Hoc tantum notandum singulariter, quod addit in fine commentarij. *Sed quæro; quid si electio fuit cassata simpliciter, & non appareat an vitio personæ, an vitio formæ, dic concludendo quod aut*


opponebatur solum contra personam, & præsumitur cassata vitio personæ; quia sentẽtia debet simpliciter intelligi secũdũ acta. Aut opponebatur solum contra formam, & præsumitur cassata vitio formæ, ratione prædicta. Aut opponebatur cõtra formam, & contra personam; & tunc in dubio præsumitur cassata vitio formæ: quia facienda est in odiosis benignior interpretatio, vt ff. l. si præses, & l. interpret. eod. tit. & in simili facit bona glossa. in §. suspectus. institu. de suspect. tutor. Hæc Panormit. & cæteri cum illo Doctores. In quibus Gregorius enucleatius rem explicat. tract. de elect. ca. 19. vbi postquam docuisset ipso facto, duabus tãtum de causis ius ad summum pontificem deuolui, vel cum notoriè criminosus scienter fuisset electus, vel cum forma. in cap. quia propter. contempta fuisset, hæc tandem addit, quibus negotium omnino concluditur. *In aliis vero casibus superior semper irritatam electionem, ad eosdem electores reficiendam tenetur remittere, veluti si propter crimen occultum electi irritetur. c. innotuit. de elect. Vel quia electus erat indignus, vt corpore vitiatus, bigamus, irregularis, secundum Ioan. Andr. ad cap. odia. de regul. iur. in sext. in Mercuriali. Vbi & notat pœnas. c. cum in cunctis. §. cleri. de elect. habere tantum locum in casibus ibi expressis, &*

in d. cap. dudum: pœnæ enim sunt restringendæ. d. cap. odia. Idem dicendum si electio fiat irrita, quòd vnus electorum fuerit contemptus. Vel quando variæ electiones factæ, quarum nulla à maiori parte facta dicitur, nec à saniori. gloss. in cap. Ecclesia vestra. 2. in fine. de elect. Aut quia facta est noua electio, prima non cassata. Vel quando est facta electio, post legitimam appellationem. ca. considerauimus. & ibi Panormit. de elect. Vel quia pendente appellatione ab electione, facta sit noua electio. ca. prouida. 44. de elect. in sext. Hactenus ille: vnde clarè appareat, multis in casibus, etsi repulsa fuerit electio, aut postulatio, tamen ius integrum de nouo eligendi penes electores manere, neque eo propterea posse priuari, ideoque ab illis de nouo personam prius electam, aut postulatam posse eligi, aut postulari. Ac ne quid scienter omittere videamur, si quis ambigat vtrum quæ in cap. quia propter. & alibi de forma electionum dicuntur, etiam de postulationibus sint accipiẽda, ne nimij simus in singulis hæc à Panormit. in illud cap. quia propter. pauca sufficient. *Quæro secũdo nunquid formæ huius capitis necessario sint seruandæ in postulatione, cùm textus solum faciat hîc mentionem de electionibus. Dic quod duplex est postulatio, quædam mi-*

nus solemnis, per cuius admißionem non consequitur postulatus ius prælaturæ, sed habilitatur vt poßit eligi, & tunc non est seruanda dispositio huius capitis, cum debeat seruari postmodum in electione facienda, exemplum cùm postulatur laicus, vt faciat se promoueri ad ordinem sacrum, vt poßit eligi. Quædam est postulatio solemnis, per cuius admißionem consequitur postulatus plenum ius, ita quòd admißio facta per superiorem habet vim electionis, & confirmationis, & tunc debet seruari forma huius cap. quia satis talis dicitur, electus habito respectu ad futurum, & pone exemplum in c. scriptum. infra eodem. & in ca. Bonæ memor. de elect. 2. Et vide quod dixi in 1. de postulat. prælat. & hanc opinionem firmauit Innocent. c. in causis. Certè hæc cum superiorib. plane consentiunt, vbi in omnibus postulationē concordem, cum electione pari passu procedere, tam multis modis demonstratum est.

OCTAVVM.

TANTVM VERO ABEST, vt postulati nostri insignissimi viri persona reijci possit, vt quamuis nullum ius concordati, nullum indulti, neque eligendi, neque postulandi haberemus, ipsaque Abbatia purè ac nudè ad suam sanctitatem spectaret, omnes tamen sperare deberent à summa illius clementia, paternaque prouidentia, illum cuiuis alij anteponi debere. Imò etsi aliquo vitio nobis incognito reiectus esset, non ideo tamen nos iure nostro eligendi decidissemus, cùm innocentes mulctari non possint.



GITVR, cum isti nostræ Abbatiæ petitores ardentissimi probè vidissent, nihil esse omnino, quod vel contra concordata Germanica, vel contra ius nostrum postulandi, vel contra

ipſam poſtulationem obiici poſſet, in id vnum omnibus furiis coniuratis incubuerunt, vt poſtulati perſonam omni extraordinaria conſpiratione impeterent. Quod ipſorum fuiſſe conſilium, iam à principio, præcipuus calumniatorum architectus ipſe propalam, id futurum eſſe fuerat comminatus. Cogimur igitur illorum impudentia impudentes eſſe, noſque contra vim ſub moderamine inculpatæ tutelę defendere. In quo tamen moderatè agere, & vel pro noſtri poſtulati modeſtia erubeſcere volumus, ne omnia, quæ ad eius cõmendationẽ dici poſſunt referamus, cum ſufficere poſſint, quæ de illo modeſtiſſimè ſupra. cap. 3. cùm de vtiliori, & digniori perſona dictum eſt, recenſuimus, certè multis partibus inferiora, iis quæ boni omnes non Metis ſolũ, ſed toto Galliæ Regno de illo ſentiunt, & teſtantur, & prædicãt. Quia tamen quoſdam deſperata cupiditas vltra omnes Chriſtianæ modeſtiæ limites furioſiſſimis quibuſdam ſtimulis exſportauit, ne noſtro ſilentio vel inſoleſcat improbitas, vel triumphet impudentia, hic tantum generatim calumniæ fontes aperiemus, eo quòd calumniatori præcipuum, inſitum, ac naturale ſoleat

esse, vt super omnia delitescere, ac sese sycophantarum suppliciis, præfocato facinore, latenter eripere possit. Nihil enim est adeo Barbarum, atque immane, quàm ex auiditate prædæ famam alienam lacerari, idque nulla specie iudicij, aut veritatis, maxime vero ab iis qui Christiani, quid si Religiosi: quid si præcipua pietate spectabiles videri volunt? Hoc vero non modo furtum, rapinam, apertum latrocinium, & quod vis homicidiũ, verum, si adhuc Euangelio creditur omnẽ laruatã hypocrisim, quin etiam Canibalum ipsorum immanitatem superat; vt de illis Pontifex nominatim illa dixisse videatur. ca. Auaritiæ. de elect. in sexto. *Auaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi à iure interdicta nouerint, exquisitis fraudibus vsurpare conentur.* Quo in canone singillatim in sequentibus isti homines quasi digito designantur, & ad hanc Abbatiam ex iis quæ iam egerunt, in perpetuum ostẽduntur inhabiles. Crudele est dicere quid de viro integerrimo Romæ, quid Parisiis, quid Metis ex eorum relatione, qui Romæ sæuiebant, isti iactarint. Inter criminosissimos numerare, horrendas minas inten-

tare, inauditas falsitates spargere illis ludus, & iocus fuit. neminem baiulum, non dico ex rusticanis pręsbyteris infimum, indignius vnquam vidimus tractari, calcari, fœdari, lacerari, laniari, quàm illum virum, quem boni omnes, & verè Catholici tota Gallia suspiciunt, diligunt, admirantur. Atque quod caput est, si spectemus à quibus hominibus ista iactata sint, certè comperiemus ingentissimis, iisque publicis, & præiudicatis criminibus inquinatissimos, suis fœdis factis se ad omnia beneficia inhabiles pridem reddidisse, omnibusque sacris anathematibus palam infames. Nam quantum crimen est Abbatias, alias vendere, emere, cauponari, alias simoniacè habitu laico contra ius fasque possidere; alias inuitis Religiosis per vim sub pignore occupare, & distinere; alias diripere, & spoliare, & per administratores hæreticos fœdum in morem deuastare; summorum Pontificum diplomata eludere, fraudare, impedire voluisse; Religiosos ad alium postulandum manifesto ambitu, intentato metu, proposito lucro, pellicere, deinde etiam ingentissimis proditionibus, atque inauditis machinis impellere, atque adigere voluisse; hæreticorum operam ad hæc

omnia adhibuisse, cum illis diu, noctuque consilia communicasse, per eos calumnias ventilasse; in functionibus spiritualibus sordidissimos questus cōtra canones diœcesanis sæpe spoliatis fecisse; vsuratium, & fæneraticium lucrum passim exercere: in omnium pene oculis mulierculas ad stuprum, ad adulterium, atque ad omne facinus frequentare; Catholicorum arcana consilia hæreticis peruulgare; cum illis rem Christianam inter aleas, inter pocula, inter cachinnos quotidianos prodere: cōcionatores Catholicos, qui nostra memoria Metis vitia insectari, aut Catholicè, & piè concionari voluerunt, omnes ad vnū vexasse, eiecisse, infamasse, idque sæpius implorata hæreticorum ope, & tentasse, & fecisse. Non exprobramus omnia. neminem volumus nominare, ne vel cum iusta nostra defensione alicuius vel leuem infamiam coniungere velle videamur. Si opus erit, & si sua Sanctitas voluerit, illi ea aperientur de istis hominibus, quæ exhorrescat. Inter hæc omni dolo latere volunt: sese miris artibus clepunt: id si esse posset, ac nisi suo scelere proderentur, cuius fama tuta, aut salua esset? Contrà sanctissimi canones huiusmodi pestes omni vocifera-

tione prodi, omni supplicio seuere mactari decernunt: qui si apud suam Sanctitatem solum, aut in iudicio egissent, calumniatorum crimen effugere poterant: iam cum sparsis per totam Galliam rumoribus, atque mendaciis, imo litteris, & libellis per se, & suos disseminatis, publicè suo se ipsi iudicio sycophantas, & parum Christianos prodiderint, hoc vnũ à sua Sanctitate deposcimus, vt abiecta larua eos prodire, ac sese ex antro efferre imperet: id enim omnia iura Põtificia sanciuerũt. Ecce manifestum canonem. in sext. ca. vt circa de electione, & electi potest. *Vt circa electiones, postulationes, & prouisiones ecclesiasticas, viam malitijs, prout est possibile, præcludamus, ne diuti⁹ periculosè vacent Ecclesiæ, vel personatuum dignitatum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum prouisio differatur, edicto perpetuo prouidemus, vt si quando aliqui electionibus, postulationibus, vel prouisionibus se opponunt, proponendo aliqua contra electionis, postulationis, seu prouisionis formam, aut personas eligentium, vel electi, siue illius cui erat prouisio facienda, vel facta, &c. in instrumento publico, seu litteris, super oppositione confectis, omnia, & singula exprimant, quæ in formam intendunt obijcere, vel personas: coram personis authenticis, aut persona,*

quæ super hoc testimonium perhibeat veritati, corporali præstito iuramento, quod credunt ea, quæ sic exprimunt esse vera, & se posse probare. Alioqui eisdem obijciendi aliqua, quæ non fuerint in huiusmodi litteris, vel instrumentis expressa potestatem sibi nouerint interdictam, &c. Pœnas autem contra non plenè probantes, ab Innocentio indictas, in extremo capite decernit calumniatori infligendas. Certè tantum hactenus calumniatorum malitia potuit, vt iam vndecim menses, & eo amplius fuerit (nam vnus ex illis se nobis saltem per annum facturum negotium initio dixerat) dilata nostra postulatio. Pœnæ autem grauissimæ, quæ ab Innocentio infligi iubentur non probantibus, proponuntur in ca. statuimus. de elect. & elect. potest. in sext. *Qui plenè non probauerit quod in formam opponit, ad expensas, quas propter hoc pars altera se fecisse docuerit, condemnetur. Qui vero in probatione defecerit, eius quod obijcit in personam à beneficiis Ecclesiasticis triennio nouerit se suspensum, ad quæ si infra illud tempus propria temeritate se ingesserit, eis ipso iure perpetuo sit priuatus, nullam super hoc de misericordia spem, aut fiduciam habiturus.* In canone autem. sciant cuncti. ibidem. qui conati sunt quouis modo efficere, vt eligerentur, aut postularen-

tur,

tur, deinde quod id obtinere non potuisſent, conuentum, & electores quauis ratione vexarunt; aut etiam ipſorum conſanguineos, quanto magis ipſorum electũ, & poſtulatum? ipſo facto excommunicati declarantur in hæc verba. *Sciant cuncti, qui clericos, vel quaſlibet alias perſonas Eccleſiaſticas (ad quas in aliquibus Eccleſiis, Monaſteriis, aut aliis piis locis ſpectat electio) pro eo quod rogati, ſeu alias inducti eum pro quo rogabantur, ſiue inducebantur eligere noluerint, vel conſanguineos eorum, aut ipſas Eccleſias, Monaſteria, ſeu loca cætera bonis ſuis per ſe, vel per alios ſpoliando, ſeu alias iniuſte perſequendo, grauare præſumpſerint, ſe ipſo facto excommunicationis ſententia innodatos.* Equidem qui potiſſimum nos vexarunt ij fuere imprimis, qui vel ſe poſtulari etiam ante Abbatis obitum, contra omnes ſacros canones, ſacrilegè ambiuerant; vel qui in Abbatiam per vim inuolare, illamque ſpoliare voluerunt: nam paulo ante, oppoſitionem vniuerſi cleri Metenſis de ipſorum violentia, iniuria, & ſpoliatione proteſtantis attulimus: equidem illorũ artibus iam effectum eſt, vt ad duo aureorum millia, eaque mutuo accepta expenderimus.

Enimuero, vt vno verbo multa perſtrin-

gamus, quæ prolixè, & authenticè, & iuridicè, si sua Sanctitas iusserit, detegentur, tria potissimum hominum genera nos, & postulatum nostrum omnibus artibus diuexarunt. Primum genus ille camerarius Lotharingus Flauinius, & Sennetonus, quique in his partibus ipsorum negotia tractant. 1. ipsi coram grauissimis testibus confessi sunt, vnum è Lotharingi fratribus præcipua calumniarum capita contra postulatum Romam misisse. 2. sexcentis testibus Metis probabitur, qui Lotharingi negotium, agebant palam, & vicatim easdē calumnias ex hæreticorum, & aliorum maleuolorum ore collegisse. 3. certis, & grauibus testimoniis conuincetur, ipsosmet præcipuas calumnias excogitasse, & sparsisse, easdēque ipsas postea pernegasse: imo in ipsis Metensium oculis multos subornare conatos fuisse, vt vel de postulato detraherent, vel de illo honorificum quod vltro dare vellent testimonium recusarent, multaque alia Christiano homine indignissima tentauisse. 4. eadem ipsa, collatis diu noctuque consiliis, Sennetoni actores præstitisse, clara, & coniurata, & omnibus Metensibus nota maleuolentia, imo semper huc vsque in

vicis, in foro, vbique iactasse, & iactare hodie, idque sponsionibus, & grauissimis iuramentis confirmare, Sennetonum, etsi hominem ensiferum, armatum, illiteratum S. Arnulphi Abbatem, pro certo futurum, pensionem verò annuam cuipiam alteri (alij Lotharingum, alij alium nominant) mille nummum aureorum facturũ: quin etiam nuperrimè Romam ad consentiendũ pensioni procurationẽ vna cũ professione fidei transmisisse, quæ hodie asseuerantissimè ab illis dicuntur, scribuntur, iurantur. Quo iure, qua via, quo nomine, id possint, nemo aut suspicari, aut dicere potest. Iure certè nemo est qui credere queat illos debere, aut posse, vlla vel excogitata ratione postulato nostro anteponi. Secundum genus hominũ à quo vexati hactenus fuimus, sunt Hugonothi, quibus illi, de quibus modo dictum est, ad omnia vel fabricanda, vel exequenda, vel spargenda sunt vsi. Nam Abbas defunctus semper vsque ad obitum, œconomis Hugonothis est vsus, qui omnia Abbatiæ bona tot annos domestice, & pro sua libidine administrarunt, idemque sibi in posterum sperandum esse statuerunt, si Sennetonus fratri Abbati succederet: nam &

ipse Sennetonus hodie ad ea quæ pignorũ loco occupat etiam œconomis Hugonothis, atque actoribus vtitur. Quare qui primus illi nuncium de fratre defuncto per Veredariũ dedit, fuit Hugonothus; qui & postea multis mensibus totum Breueti, & œconomatus negotium pertractauit. Præterea is qui à Sennetono Metas missus fuerat, vt hæreticorum rumores contra nostrum postulatum iactatos colligeret, apud Hugonothum diuertit. Ad hęc cum vnus ex Sennetoni Actorib. apud Gubernatorem delatus fuisset, quod publicè quasdam eius generis calumnias impudenter iactaret, authorem suum alium nisi Hugonotum prodere potuit, eumque illum ipsum, apud quem ille Sennetoni collector hospitio diuerterat. Denique, qui ad nos primus, vt electioni nostræ obstaret, aduolauit, vti supradictum est, Hugonothus extitit, qui deinde etiam alia quamplurima ad eundem finem apertè tentauit, isque denique ille ipse fuit apud quem potissimum Lotharingi actores, itabant, ventitabãt, quoties noua aliqua consilia contra postulatum nostrum molirentur. Tertium genus eorum, qui nobis aduersati sunt, & qui in præcipuis techna-

rum authoribus numerantur, ij ſunt ex laicis,atque eccleſiaſticis, tametſi pauciſſimi, qui quamquam ſpecie, & nomine Catholici, tamen ſemper hæreticorum negotia Metis, magis, quàm ipſi hæretici promouerunt: Nam ſi qui concionatores iam à quadraginta annis acrius in impuriſſimos ipſorum mores inuehi, perditam, & profligatam ipſorum vitam emendare conati ſunt, illos verò omni calumnia, omni vexatione, omnique malo ita afflixerunt, vt eos vrbe cedere geſtientibus, & plaudentibus, & triumphantibus hæreticis ſæpe compulerint. Poſſumus quinque, ſexve concionatores celeberrimos proferre eo modo tractatos, abactos, cruciatos. Poſſumus eorum quæ aſſerimus pluſquam quinque Catholicorum teſtium millia ſuæ Sanctitati producere, vt ingemiſcat nullum omnium hominum, qui hodie viuunt, memoria, concionatorem Metis per iſtos in vinea Domini tranquille colenda conſiſtere potuiſſe. Atque ne etiam gratis, ipſorum more, iſta confingere videamur, ſuam Sanctitatem humillimè exoramus, vt quæ de iſto genere illuſtriſsimus Cardinalis Gyurius Epiſcopus noſter bonæ memoriæ, teſtis o-

culatus, & certus ad suam sanctitatẽ paulò ante obitum in commendationem postulati nostri ipsemet scripsit recordetur, facile ex paucis multa coniiciet.

Immemorabiles verò, & inexplicabiles machinæ fuerunt, quibus isti hucvsque grassati sunt. Atque vt omittamus nos, totumque conuentum ab illis inauditis artibus fuisse tentatos, appetitos, sollicitatos, & sexcenta alia machinamenta ab illis dolosè, & contra fas, quibus vix fidem sit habitura posteritas, fuisse admota; hoc ante omnia pertentarunt, vt postulatum nostrum suæ Sanctitati odiosum, Regi suspectum, omnibus inuisum redderent. 1. Super omnia hoc quotidie Metis ex Lotharingi, aut eius Actorum litteris; hoc sexcenties Parisiis ex variorum sermonibus, hoc Romæ publicè, ac solemniter iactauerunt suam Sanctitatem tanto odio, tanta indignatione, imò tanta nausea nostrum postulatum execrari, vt vel ipsius nomen ad aures admittere, non dico eius rationes audire velit: vsque eo eruperunt, vt Roma etiam scripserint cum illis male actum iri, qui apud sanctam sedem eius causam agerent: alia insuper horrenda addiderunt, de quibus illos ip-

ſos pudet, cum apud ſe recogitant. De iis omnibus primum noſter poſtulatus apud te, Nuncie illuſtriſſime, conqueſtus eſt: illi denunciaſti, & certo affirmaſti, quæ de ſummi Pontificis erga illum indignatione iactarentur, vana eſſe atque fictitia, teq. longè aliud de optima Pontificis maximi in illum, & propenſiſſima voluntate cognouiſſe: quare nihil eſſe quod illa vulgātibus fidem haberet. Iis non contentus eadem ad illuſtriſſimum Cardinalem de Giury, bonæ memoriæ, prolixè ſcripſiſti, non ſolum ſuam Sanctitatem optimo in poſtulatum eſſe animo, & qua eſſe conſueuerat propenſione, verum omnino ſtatuiſſe, nihil de Abbatia ſtatuere impoſterum, donec illius rationes exactiſſimè auditæ fuiſſent: quod nunquam præſtitiſſet, vt poſtremis litteris addidiſti, niſi præfati poſtulati perſonam charam, & commendatiſſimam habuiſſet. Quare etiam ſanctiſſimus ille Cardinalis ſæpe poſtulatum noſtrum hortatus eſt, ne iis quæ de ſuæ Sanctitatis aduerſus illum indignatione iactabantur, vllo modo fidem haberet: id enim ſibi in mentem venire nullo modo poſſe. Et ſanè quis non videt diabolicum planè inuentum magis, quàm calumniam

extitisse, cũ recogitauerit, quàm paterna beneuolentia semper illum sua Sanctitas prosequi dignata sit? Primum in illa controuersia, quæ illi cum Iesuitis Romæ fuit, adeò illum exquisita clementia, & pontificia benignitate susceperat, vt & summis priuilegiis auxerit, & magnis honoribus decorarit, & suam ipsam sanctitatē de tota controuersia iudicem esse voluerit, imò illum sub sanctæ sedis Apostolicæ protectionem, atque tutelam receperit: quæ omnia *ex viuæ vocis oraculo* patēt, quod illi sua Sanctitas per illustrissimum Cardinalem de Giury illius controuersiæ tũ Romæ disceptatorem, & quæsitorem expediri iussit. Nec eo stetit pontificia illa, & paterna benignitas: nam postea cùm audiuisset ingentes fructus, quos Metis, suis concionibus reportabat, iterum ad præfatum Dominum illustrissimum Cardinalem sua Sanctitas per illustrisimum Cardilem Lancfrancum scripsit, quanto in pretio præfatum Dominũ postulatum haberet, ideoque cupere se, vt qui primus canonicatus in cathedrali ecclesia Pontificię collationis vacaret, illi seruaretur: quod & ita factum, nec rebus verba potiora fuerunt: primum enim canonicatum, qui

breui deinde vacauit, illi ſua Sanctitas ne quidem cogitanti contulit. Quare ſapientiſſimi quique, qui illa reipſa ſpectauerant, quique multas litteras tuæ Illuſtriſſimæ Dominationis ad præfatum Illuſtriſ. Card. Gyurium, de egregia ſummi Pontificis in D. Valladerium voluntate viderant, ſtatuebant omnes, quæ de illa noua in ipſum indignatione circunferrentur, fabulas eſſe, atque hominum maledicorum inuenta. Qui etiam eo impudentiæ pręcipitati ſunt ad calumniam colorandam, vt paſſim peruulgarint D. poſtulatum neſcio quę aut feciſſe, aut dixiſſe, aut ſcripſiſſe, quæ ſanctam Apoſtolicam ſedem offenderent. Quæ vt horrēda diaboli cōmenta fuiſſe vno verbo conuincamus, totum Galliæ Regnum, nedum vniuerſam Metenſem ditionem teſtem exhibemus, ex omnium concionatorum numero, neminem penitus hoc ſeculo pro ſancta ſede Apoſtolica clarius, audacius, & generoſius, & maiori zelo in media Gallia decertaſſe; imo maiores ea cauſa magnatum offenſiones contraxiſſe: de quo te vnum locupletiſsimum quidem certè in his partibus oculatiſsimum nuncium Apoſtolicum teſtem appellamus: vt & Illuſtriſsimum Cardinalem Gyurium

dulcissimæ memoriæ, qui Mense Decembri elapso ad suam Sanctitatem de doctrina, moribus, zelo, & singillatim in sanctam sedem ardentissimo studio præfati postulati grauissimè, & verissimè, ipse domesticus & oculatus testis, & æquus, atq; incorruptus arbiter scripsit: imo alias litteras eiusdem argumēti dedit ad Illustrissimum Cardinalem de Ioyeusa, sacri collegij Decanum; alias ad Illustrissimum Cardinalē Burghesium nationis Germanicæ Protectorem, alias ad te ipsum Nuncium Apostolicum, alias ad Dominum de Breues, Oratorem Regium, quas authenticas penes nos habemus, quibus egregias illius dotes, & fructus eximios iam ab eo in his partibus reportatos, & alia grauissima de illius probitate, præsertim de singulari in sedem Apostolicam zelo, & deuotione inculcat: quæ satis esse possunt, ad illam infamem calumniam in Tartaro vnde emerserat sepeliendam. 2. Etiam in eo laborarunt: vt illi Regiam indignationem, si fieri potuisset, conciliarent. Scripserat Dominus postulatus ad illustr. Card. Burghesiū nationis Germanicæ protectorem, eo ipso die quo fuerat postulatus, quendā in aula Regia Breuetum de Abbatia im-

petrasse, quare vereri se, ne si illud Breuetum locum habeat, electiones Metis tollantur, resque ad nominationem Regiam aliquando deueniant, cui rei sibi animum esse resistere fortiter, modo ipsi placeret illum ea parte Pontificio fauore adiuuare. Itaque has litteras, vt piaculum quoddam nescio vnde extortas transcripserunt, concitatis veredariis in aulam ad regni principes miserunt, Regem eo ipso grauissimè læsisse vbique disseminarunt, *Imo qui summo Pontifici in Gallia non parceret, Romæ Regi ipsi non pepercisse.* Crudele, nefarium, & immane cōmentum. Hoc qui primi tenere, qui laudare debuerant, pro crimine læsæ maiestatis iactarunt. En Deus bone, quò præcipites homines ducit effrenata cupiditas! Quæ illustrissimo Card. Burghesio scripserat, ea multo acrius etiam typis edita Regis sanctiori consilio pro electionum Metensium iure tuendo proposuit: quo in consilio cum primaria sint totius orbis Christiani, non dico Gallici capita, nemo fuit qui illa iusta electionum Metensium defensione Regē læsum fuisse iudicauerit. Imo quod caput est, Clerus vniuersus Metensis generatim, & conuentus sancti Arnulphi sin-

gulariter ex professo ad Regem homines in id destinatos miserunt, vt cum nostro postulato contra Breuetum illum pro Metensis Ecclesiæ priuilegiis decertarent: vt si culpa sit Breuetum insectatum esse, & nominationi Regiæ obstitisse, & in aulam statim post postulationem ea de causa conuolasse (quod etiam illi ingēti crimini verterunt) culpa sit toti Clero Metensi communis, quin etiam ipsi Regio consilio sanctissimo, cuius suprema sententia Regiè sancitum est Metensem Ecclesiam concordato gaudere Germanico, Breuetum Regium nullius momenti esse, & alia quæ illo, vti supra cap. 2. ostensum est, continentur. Quare hinc etiam manifestum est quę maximā in postulato laudem, & gloriam merebantur, ea pro summis criminibus fuisse ab ipsius obtrectatoribus ventilata. Quoad summam in Regem fidem, & obseruātiam, adeo prodigiosum esset in Gallia cōtrariū de D. Valladerio, aut sentire, aut dicere, ac si in luce meridiana Solem non lucere diceres. 1. Ipsum sanctioris consilij decretum magnificè de egregia illius in maiestatem obseruantia, & fide testatur. 2. Nemo in Gallia nescit quanto illum in pretio Henricus Magnus semper habuerit,

testabitur ipsa sua Sanctitas, cui illū, non semel per Regias litteras commendauit: testabuntur Metense Capitulum, arcis gubernator, omnes magistratus domus Vrbanæ, ad quem Rex ille maximus separatas quibusque litteras scripsit, cum Metas eum concionatorem, & Episcopi vicarium proficisci voluisset, quibus quanti illum faceret, & quam charum illum haberet, aperiebat: testaretur, si viueret, Gyuriacus Cardinalis, ad quem Rex scripserat cupere se, vt illum prosuffraganeo sibi adsisceret, quod nisi fuisset morte præuentus se facturum prope diem esse spoponderat: cuius clemētiæ Regiæ hæres filius clementissimus Ludouicus XIII. ipsaq. Regina Christianissima, Religiosissima, atq. Augustissima, ad illū ipsum semel atque iterum de illa Regia voluntate, vt suffraganei munere fungeretur, & ipsi perscripserunt; imò non semel alias ad Arcis custodem, atque ad capitulū Rex, ac Regina litteras dederunt, quibus eximias tā-ti viri dotes, singulare in Regiam maiestatem studium, & Regiam, qua illum prosequerentur beneuolentiam, prædicabant: vt nihil esse possit adeo portentosum, quā istos in tam claro Sole potuisse tam vana

cõmenta confingere. Ad hæc summi Pontificis, Regis, ac Reginæ, Cardinalis, Nuncij Apostolici, & totius Regni testimonia, addamus si placet omnium ciuitatis Metensis ordinum solemnes, atque authenticas de nostri postulati integritate, religiosæ vitæ exemplo, & excellenti doctrina, & aliis notissimis dotibus, attestationes. Totus clerus, arcis gubernator, vniuersi Regiæ custodiæ principes, & capitanei, domus ciuilis Catholica, omnes religiosi ordines tum mendicantes, tum cęteri, recentes, ac veterani, omnes parochi, & parœciarum scabini, & quod caput est, ipse episcopi officialis, officio ex professo iuridice functus, separatim omnes, perspectã publicè de præfato Domino postulato veritatem; tum quoad mores, tum quoad doctrinam, aliaque exquisita talenta, suæ sanctitati separatis testimoniis perscripserunt. Postremo, hac honorifica prædicatione non contenti nobiscum conatus suos clerus vniuersus, omnesque Magistratus, & ciues Catholici iungere statuerunt, libellumque supplicem nobiscum ipsi separatim suæ Sanctitati obtulerunt, obnixissime atque impensissime obtestati, vt adeo vtilem, adeo necessarium, adeoque idoneum

postulatum ciuitati Metensi concedere dignetur, hoc maximè tempore, cum sanctissimo præsule Episcopo nostro orbati, noui Episcopi tenera ætate deinceps magis, quã vnquam illius opera hæc Regio hæresum colluuione inquinatissima indigebit. Quæ omnia adeo certa, adeo magna, adeo magnifica, si duorum, triumue anonymorum iniquissimis coniurationibus, infinitis partibus, quouis vel iniquissimo iudice, præponderare censentur, equidem confidimus omnes fore, vt nostro postulato neminẽ velit anteponi. Si qua autem alia, quę nos lateant, exprobrarunt, ad suam Sanctitatem viros capaces transmisimus, qui illi de omnibus faciant satis, illamque infimè deprecentur, ne nos diutius pastore, & parente orbatos propter iniquissimas maleuolorum calumnias esse patiatur.

VERVMTAMEN illud etiam, optima suæ Sanctitatis venia, ad extremum adiungimus, tametsi quæ diximus illa non essent; imo quanquam postulatus aliquo vitio hactenus nobis incognito, quod esse nullo modo potest, respueretur, non ideo ius nostrum ad suam Sanctitatem deuolui, sed ius eligendi integrum penes nos futurum. Nam in eo omnes doctores, omnia

Pontificia iura conueniunt, eos tantum deuolutione iuris puniri debere, qui indignum ſcienter elegerint, qui autē inſcienter, ſuo integro iure gaudere. in ca. Quamquam in caſu. de elect. in ſext. dixerat Pontifex. *Si electores in huiuſmodi Eccleſia, vel ipſo iure cùm eligunt ſcienter indignum, vel per ſententiam, cùm formam traditam in generali concilio non obſeruant, eligendi poteſtate priuentur, &c.* Gloſſa addit in verbum, *ſcienter. Secus ſi ignoranter, quia tunc ad eos rediret electio, & à die ceſſationis tempus integrum haberetur. vt infra. eod. ſi electio.* Rurſus in illo can. ſi electio, quem citat, hæc habentur. *Si electio ex eo non ſortiatur effectum quòd propter occultum electi vitium irritatur, electores (qui iam fecerant quod ſpectat ad ipſos infra iuris terminum eligendo) habebunt ab irritatione prædicta, ac ſi vacatio non eſſet, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam, dummodo nihil fraudulenter egerint in præmiſsis.* Et Panormit. in 1. de poſt. prælat. cap. gratum. in fin. *Secunda regula eſt quod caſſata electione, vitio perſonæ eligentes ſunt priuati ea vice poteſtate eligendi. infra ca. cum in cunctis. de elect. Quod intellige quando elegerunt ſcienter indignum, ſecus ſi ignoranter. vt in ca. innotuit. 1. de elect.* Eſt & alius textus egregius, & gloſſæ pulcherrimæ

pro

pro eadem ſententia, quæ conſulantur, ne nimij ſimus. ca. ſcriptum eſt. in 1. de elect. Quod ſi vſquam diuiniſsimi canones locum habere potuerunt, ſane de noſtro poſtulato magna veritatis fiducia aliquando claudantur. in 1. diſt. 61. *Nec emeritis in ſuis Eccleſiis clericis peregrini, & extranei, & qui ante ignorati ſunt, ad excluſionem eorum, qui bene de ſuorum ciuium merentur teſtimonio, præponantur.* Atque ibidem. ca. nullus. *Nullus inuitis detur Epiſcopus cleri, plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur. Tunc autem alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de ciuitatis ipſius clero nullus dignus (quod euenire non creditur) poterit reperiri. Habeat vnuſquiſque fructum ſuæ militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. In aliena ſtipendia minimè alter obrepat: nec alij debitam alter ſibi vendicare audeat mercedem, ſit facultas clericis renitendi, ſi ſe viderint prægrauari, & quos ſibi ingeri ex tranſuerſo agnouerint, non timeant refutare.*



FINIS.


BIBLIOTECA